

Albrecht, Johann Wilhelm

Tractatus physicus de effectibus musices in corpus animatum

Lipsia 1734

Mus.th. 85

urn:nbn:de:bvb:12-bsb10598127-0

VD18 14378221-001

Mus. Th.

85

10596127  
Mus. Th.  
85


Albrecht

10596127

**<36629935990013**

**<36629935990013**

**Bayer. Staatsbibliothek**



MUS. TH. 85.

TRACTATUS PHYSICUS  
DE  
EFFECTIBUS  
**MUSICES**  
IN  
CORPUS ANIMATUM,  
AUTHORE  
**D. JO. WILH. ALBRECHT,**  
MED. P. P. EXTRAORD. IN ACAD.  
ERFORD.

---

Dio Chrysostom.

Ἐνρέθη ἡ Μεσικὴ Θεραπείας ἐνεκά τῶν αἰνθρώπων τῶν  
παθῶν, καὶ μάλιστα μετατρέψειν ψυχὰς αἴπηγῶν καὶ  
ἀγρίων διακερμένας.

---

LIPSIAE, 1734.

Apud JOANN. CHRISTIAN. MARTINI,  
in Platea Grimmensi.



10596127

V I R O  
EXCELLENTISSIMO, DOCTISSIMO  
ET EXPERIENTISSIMO  
D O M I N O  
GEORG. ERHARDO  
HAMBERGERO,  
IN ACADEMIA JENENSI PHILOSOPHIÆ  
ET MEDICINÆ DOCTORI ET PRO-  
FESSORI LONGE CELE-  
BERRIMO,

S. D.

JOH. GVILIELM. ALBRECHT.

**Q** Voties studiorum meo-  
rum primordia mecum  
revolvo, toties satis deprædi-  
care

care non possum eorum consilium, quo ductus TIBI, præcepta Matheos & Physices tradenti, me tum integrum & ab omni opinionum levitate adhuc liberum præbui erudiendum. Siquidem concinnus ordo, & planissima, qua in Praelectionibus uti soles, perspicuitas effecerunt, ut doctrinæ, difficultatis & obscuritatis alias plenæ, facile non tantum & tenaciter memoriae inhæserint, sed etiam ad reliquas deinde disciplinas accurate percipiendas & dijudicand-

candas viam panderint mire  
expeditam. Quapropter ju-  
re quodam hoc inter præci-  
pua fortunæ munera ponen-  
dum, & nullam occasionem  
prætermittendam esse arbi-  
tratus sum, qua tantum, à  
TE in me collatum beneficium  
grato animo prosequi possem.  
Cum itaque hoc qualecunque  
Opusculum Scientiæ Physicæ  
cultoribus destinarem, officii  
mei aliqua ratio impleri posse  
videbatur, si hoc Præceptoris,  
de me optime merito, nuncu-  
parem, gratæ benefactorum  
me-

memoriæ publicum monu-  
mentum. Quod, si benevo-  
le excipies, & ornamentum,  
quod præfixum celeberrimi-  
num TVVM NOMEN ei con-  
ciliat, non invidebis, dabo  
operam, ut meo in TE studio,  
observantia & pii pro TVA  
salute votis, hujusmodi favo-  
rem & amicitiam promereri  
possim.

Dabam Erfordiæ die XIV. Julii  
Anni M DCC XXXIV.



## Lectori Author!

**N**on quidem ignoro, gravissimos jam *Physicos Phænomena, circa effectus Musices in Corpora animata obvia, alias aliis rationibus explicare studuisse*; quorum vero pleraque ita comparata esse mibi videbantur, ut novæ disquisitioni relinquerent locum. Mutuatus sum itaque ab optimis *Authoribus inventa & demonstrata Physica, Anatomica & Medica*, & ea ita inter se jungere tentavi, ut ex natura Soni & fabrica auris pateat, quomodo ille in hanc agat, & ejusdem commoveat nervos: quorum deinde originem ad interiora Cerebri usque persequutus monstror, qua ratione ista actio huc continua- ta sistere possit quævis pathemata animi, quæ, quid tandem sint, & quid corpus ab iisdem patiatur, eodem loco queritur. Falletur itaque, qui hic queret Artis Musicæ Elementa, atque præcepta componendorum modulorum, singulis affectibus animi & corporis accommodatorum. Hac enim rectius expectantur ab aliquo Musicorum. Nihil aliud molior, quam ut probem, hanc viam, quam ingressus sum, esse reliquis tutiorem, & ad veritatem proprius accedere. Multa deficiunt, neque mibi ipsi semper satisfacio; hinc nihil audacter affirmavi, quod non esset satis evidens, & saepe hæsi dubius. Quapropter censores me spero habiturum æquiores illo, qui cæco impetu, mente mea non intellecta, & sine

---

## PRÆFATIO.

---

*sine omni judicio Physicæ, quam ignorat, cultores increpabat.*

*Cum nempe ante duos annos in peculiari Tractatu de Tempestate egisset, & incidisset quæstio: an ex astrorum cursu futuræ tempestates prædicti queant? ego vero hoc non tantum negasse, sed etiam contra vanitatem universæ hujus Scientiæ disseruisse, & notasse vel arrogantiam, vel stupiditatem, vel nequitiam eorum Medicorum, qui amplius quid se scire simulantes, oportunum Venæsectionis tempus ex positu astrorum & Lunæ phasibus se determinare posse prætendunt, & faustos dies usque in domos vel ipsi denunciant, vel per suos denunciari curant, rem gratam Publico, & candido pectori dignam me fecisse arbitratus sum, ut qui prius omnia, quam horum errorum popularium assertorem & vindicem expectarem. Nihilominus tamen prodiit quidam, qui Astrorum decreto ad id sibi natus visus est, ut obsoletas Astrologorum nugas denuo omnibus viribus propugnaret, & quæstuosam vulgi ignorantiam tueretur. Consarcinavit itaque, luna decrescente, paragraphum, quem Disputationi, de Venæsectionis Tempore opportuno subjunxit, contra §. 96. Tractatus mei directum; ubi, cum rationes quererem, præter convitia nihil inveniebam. Quare Authori, quisquis sit, nihil respondeo, nec imposterum, nisi quid melius, & liberali animo dignius afferat, respondendum duco. Si cui vero lubet hominis fidem, mores & eruditionem explorare, modo indicatum paragraphum attente legat, cum meo conferat, & judicet!*

TRA-



TRACTATIO  
DE  
EFFECTIBUS MUSICES  
IN CORPUS ANIMATUM

§. 1.

**P**er Musicam intelligimus quamcunque sonorum vel compositorum, vel simplicium, vel simultaneam, vel succedaneam quovis instrumento artificiose producitam Harmoniam.

§. 2.

Musica nomen accepit à Musis, novem sororibus, Jovis (i. e. Intellectus) & Memoriæ filiabus, omnium artium liberalium primis inventricibus.

§. 3.

Musæ vero appellatæ sunt ἀπὸ τῆς μάσεως, ὡς θυγατρεῖς, ab inquisitione: Hæc enim artes, quæ per musas significantur, peperit. a) Elegantis formæ virgines inermes ab omni tempore sunt fictæ & pictæ; quo significabatur, id genus

A

nus

---

a) PHARNUTUS in Lib. de Nas. Deor.

nus vitæ, quod in litteris exigitur, placatum & mansuetum esse oportere. (b)

§. 4.

Primis temporibus Medicos quoque Arti Musicæ operam dedisse, ex iis, quæ narrantur de Apolline, Musicæ & Medicinæ Coryphæo, atque ex aliis præterea exemplis infra allegandis colligere licet. Cæterum tunc temporis omnis philosophia apud Musicos & Poetas latitabat, qui ejus præcepta, numeris suis & mensuris ornata, pulsis simul chordis, populo præcantabant. Unde CICERO (c) „Quis „ignorat, inquit, Musicen tantum jam illis „temporibus non studii modo, verum etiam „venerationis habuisse, ut iidem Musici & va- „tes & sapientes judicarentur?

§. 5.

Vetustissima certe hujus Artis origo patet ex Sacræ Scripturæ monumentis (d) ubi legimus, jam primi hominis Adami ætate Jubalem (qui à Vossio & Huetio pro Apolline gentilium habetur) docuisse tractare Psalterium & Citharam. Hebræi deinde semper Musicam adhibuerunt, præprimis in celebrando cultu divino, variis instrumentis usi, quorum hodie præter nomina nihil supereft: neque satis certe constat, quo usque in hujus Artis theoria sint progressi. Vero tamen simile est, Musi-

cam

(b) AELIANUS *Var. Hist. Lib. XII. Cap. II.*

(c) *I. Tuscul. Qu. cap. 16.*

(d) *Genes. Cap. 4. Vers. 21.*

cam tot Seculis varias habuisse incrementi & decrementi periodos, ut omnes Scientiae reliquæ. An aliquando ad eandem proiecta fuit perfectionem, qua hodie cernitur? an ad multo majorem? Ita sane existimo, quoties considero Prophetas vi Musices concitandos, & Davidem accersitum Saulo pro mitiganda mentis perturbatione. Non rudis, non vulgaris Musica compescet animum furore agitatum.

## §. 6.

Ab Hebreis Musicam acceperunt Græci, eamque practicam imprimis coluerunt usque ad tempora Pythagoræ; qui tandem mathematicam de proportionibus doctrinam accommodavit sonis, monochordumque construxit pro definiendis exactius sonorum differentiis. Quæ quidem observatio diu apud Græcos fuit æstimata & exulta: quoniam vero suis mensuris nimis arcte symphoniam adstringebant Pythagorici, posthabito aurium judicio, ab horum præceptis recedebat ARISTOXENUS, Philosophus Aristotelicus, & novam condebbat Sectam.

## §. 7.

Harum Sectarum Musicarum, Pythagoreæ & Aristoxeniæ vera differentia consistebat in distinctione inter τὸ ἔυλογον & τὸ φαινόμενον. Apud quas Sectas, inter multas alias & priores & posteriores principatum (πολλῶν αἰρέσεων τὸ πρώτον) remansisse ait PORPHYRIUS(e). ARISTIDES

A 2

certe

(e) in Praeolu. Commentar.

certe scribit (f), Pythagoram moribundum amicis ostendisse, perfectissimum in Musica intellectu potius per numeros, quam sensu per auditum (*νόητος μᾶλλον δι' αἴσθημα, οὐδὲν τῶς δι' αἰσθῆσις αἰσθίσεις*) percipiendum esse. Et ARISTOXENUS ipse, postquam (g) contra eos disputatione, qui sensum devitantes, numerorum quasdam proportiones obtendunt, Musico sensus accurationem loco principii esse (*ἀρχῆς ἔχεσσαι τὴν τῆς αὐθιγτήσεως αἰσθίσεις*) afferit. (h)

## §. 8.

Veteres Græci, cum magnam in Musica ad movendos animos vim deprehendissent, non tantum divini quid ipsi inesse existimarunt, sed ipsam etiam à Diis hominibus esse datam *εὐμελίας καὶ εὐευθυνίας μίσεγον*, hoc est, opificem concinnitatis (i), pronunciavit Plato. Unde in magno pretio ab iis habita fuit, & publicis legibus cautum est, ne quis temere antiquum canendi modum mutaret, & sic juvenum animos novis imbueret moribus, ut pluribus infra dicetur. Erat enim frequens ejus usus in Spectaculis, conviviis, saltationibus & Ludis Olympicis, ubi præmia iis, qui Musicæ studio cæteros antecellerent, erant proposita. (k)

## §. 9.

(f) *Lib. III. de Musica* p. 116.

(g) *Lib. II. Element. Harmon.* pag. 33.

(h) *vid. MISCELL. BEROLINENS. Vol. I. pag. 280.*

(i) PLUTARCH. *Lib. de Superstitione.*

(k) BONNET *Histoire de la Musique & de ses effets, depuis son origine jusqu'à présent.* Paris 1718. 12. Cap. VI. & VII.

---

## HISTORIA MVSICES.

---

### §. 9.

A Græcis deinde ad Romanos pervenit Musica, & ab his ad reliquos Europæ populos, vario tempore & fortuna varia cum ipsis litteris fuit propagata. Qui tamen & ipsi ante hujus adventum ea, quam à majoribus suis acceperant, indigena utebantur musica. Nulla enim gens tam barbara, tamque ab omni humanitate aliena unquam fuit reperta, quæ omni usu Musicæ prorsus careret.

### §. 10.

Ubi iterum singularem meretur considerationem ex cuiuslibet populi & temporis stylo Musico satis exacte judicari posse illorum ingenia, mores & litterarum culturam. His probe excultis, fere semper excitata fuisse elegantioris Musices studia: hæc vicissim agrestes animos reddidisse mansuetos, atque ad litterarum & humanitatis studia composuisse: utraque denique eodem pene fato, modo jacuisse neglecta, modo nova cœpisse incrementa.

### §. 11.

Hæc cum perpenderem, & in evolutione Authorum tam frequentes mihi occurrerent historiæ de efficacia Musices in sanandis animi & corporis morbis, in mutandis moribus, nec non excitandis vel demulcendis mentis perturbationibus; easque non omnes fictas & commenticias esse fidem mihi facerent ea, quæ & hodie cuique accidunt, dum elegantiori con-

centui Musico aures præbet; incepi cogitare de inveniendo nexu Physico causarum, quibus fiat, ut à diversis sonis corpori animato tam mirabiles inducantur mutationes.

## §. 12.

Ingenue quidem fateor, rem ad hanc questionem dilucide expediendam apprime utilēm, musicam Practicam, mihi deesse; sed, cum perspexisse, ob eam causam hanc Philosophiæ partem huc usque fuisse neglectam, quod plerumque Musici Physicæ, & Physici musicæ non satis exactam haberent cognitionem, non prorsus vanum nec irritum me suscepturnum speravi laborem, si exponerem in genere, quid valeat vis soni in corpus animatum, & quomodo ab illorum diversitate, varii in hoc dependeant effectus; quibus principiis Musici peritiores inniti, & ita suæ Arti non nihil augmenti adjicere queant. Liceat mihi

- - - fungi vice cotis, acutum

*Reddere quæ ferrum valet, exfors ipsa secandi.*

## §. 13.

Qui itaque *άξιολόγος* quid de hac re scripturi sunt, eos sequentia potissimum, ut mihi videatur, comperta habere oportet: 1) speciales quasdam & comprobatas de Musices in corpora animata efficacia experientias. 2) indolem & naturam soni 3) structuram Organi auditus 4) Nervorum acusticorum cum aliis nervis commercium & 5) quomodo per hæc tria posteriora variæ mutationes Cerebro & reliquo corpori induci queant.

## §. 14.

## §. 14.

Illud primum ideo est necessarium, ne rei non existentis investigemus causas. Siquidem semper animo prudentis obversari debent tristia illa exempla Philosophorum, qui, antequam rei veritatem explorarent, properarunt ad componendos libros & reddendas rationes phænomenorum, quorum falsitas deinde est detecta. Metuebant scilicet, ne quid ignorentur, si novi cujusdam portenti causas cunctarentur exponere.

## §. 15.

Sed quo rubore perfusos fuisse putas istos Græcos Philosophos, qui non sine magno labore & ingenii acumine invenerant causas, ob quas lana ex vepribus & virgultis una nocte enasci potuerit, cum paulo post ex Pastoribus inteligerent, ab ovibus per eam viam actis lanam dumetis adhæsisse? Cui risui, cui joco se non exposuerunt Autores de Dente Aureo? quam rem, ut acta sit, loco quidem non satis apto, non tamen plane alieno juvat enarrare.

## §. 16.

Anno 1593. rumor increbuit per Germaniam, puero cuidam in Silesia septimo ætatis anno dentes excidisse, in quorum molaris cujusdam locum succrevisset dens aureus. Pater eum lucri causa per civitates circumducebat cuilibet inspiciendum. Horstius, Professor Medicinæ in Academia Julia scribebat anno

1595. Historiam hujus dentis, cuius causas tradebat esse partim naturales, partim miraculosas, huic puero scilicet hanc felicitatem contingisse in solatium Christianorum, qui ea tempestate ab irruptionibus Turcarum graviter, erant afflitti. Vide, quale Solatium! & quæ ratio connexi intercedere potuerit inter Dentem aureum & Christianos, vel Turcas. Eodem anno, ne deessent, qui hoc ostentum memoriæ mandarent, doctissimus Rullandus accuratam ejusdem dentis descriptionem in lucem emittebat. Duobus annis vix elapsis, Celeberrimus Ingolsteterus opinionem Rullandi de causis Dentis aurei acriter impugnabat, cuius tamen temeritatem, ut fas erat, retusam orbi erudito exhibebat Rullandus in egregia sua Apologia. Hæc omnia, & quæ ab aliis præterea de Dente aureo dicta vel scripta fuerant, vir eximiæ eruditionis Libavius sollicite colligebat, & in unum volumen diligentissime congesta, examinata &, ubi opus esse videbatur, notata suis propriis conjecturis locupletabat. His pulcherrimis itaque operibus nihil amplius deerat, quam ut verum esset, Dentem illum famosum fuisse aureum. Cum puer iste paulo post deduceretur Augustam Vindelicorum, & aurifex quidam in rei veritatem paulo curiosius inquireret, deprehendebat, dentem naturalem lamella aurea obductum esse.

## §. 17.

Vir elegantioribus litteris inter Gallos politissimus, Dominus de FONTENELLE, cum eandem

dem Historiam recensuisset (1) subjungit, sibi de imbecillitate humani ingenii esse persuasum, non quidem rebus, quæ sunt, & quarum causas assequi non possumus, sed iis maxime, quæ nullibi existunt, & earum tamen invenimus causas, cur sint.

## §. 18.

Non video, quomodo eandem reprehensionem effugere poterunt illi nostrorum Philosophorum, qui nuper tot libros de Vampyris in publicum præcipitarunt magis, quam emiserunt. Sæpe miratus sum, ut invidiosa quadam æmulatione unus alterum præverte properabat. Quorsum ista festinatio? verebantur scilicet, ne gratiam novitatis amitterent, vel potius, ne prius comperirent, omnem de ipsis Spectris opinionem inani quadam gentis incultæ superstitione niti, quam suam de rebus mirabilibus scribendi libidinem explevissent. Sed quid tandem? Sic enim ipsi Cæfarei Provisores litteris consignarunt: esse in ipsis tractibus Hungariae sæpe observatum, mortuos ex sepulchris redire, aliis sopore temulentis sub noctis umbra apparere, incumbere, sanguinem exsugere & mortem inferre subitaneam: horum corpora post aliquot menses effossa deprehendi succulenta, sanguine recenti turgida, vivorum simillima, auctis unguibus & capillis. Sed isti quidem bona fide retulerunt, quæ ab aliis acceperant, vel in effos-

A 5

effos-

(1) *Histoire des Oracles* pag. 22.

effossis cadaveribus animadvertere sibi videbantur, ab accuratori veritatis perquisitione forsitan deterriti ferocitate & perturbatione plebis. Quamnam dexteritatem anatomicam in dissectione illa tumultuaria adhibitam fuisse suspicari possumus? Qui igitur doctrinæ naturalis præceptis imbuti sunt, & perspectam habent mirabilem naturam morborum Epidemicorum, illi hæc duo concedent posse esse vera: unum, morbum quendam acutum in istis Regionibus grassatum esse, qui turbaret ægrotantium imaginationem, ut simulacra mortuorum, quæ ex persuasione vulgari jam adfutura pertimescebant, in se irruere, atque cruorem exsorbere autumarent. Afficiunt enim sæpe illi morbi mirabiliter animos; alterum, ista cadavera à tabo diutius, quam fieri solet, fuisse conservata. Siquidem corpora, pro natura morbi, quo defuncta sunt, citius vel tardius putredinem contrahunt, & observatæ sunt Pestis species, quibus, qui interierunt, intra viginti quatuor horas foeda putredine diffluxerunt. Si vero exempla eorum, quæ segniter dissolvuntur, non ita sunt frequentia, hoc ex eo evenire videtur, quod effodianter rarissime.

### §. 19.

Experiuntur sane Anatomici cadavera per plures sæpe septimanas & resistere corruptioni, & intumescere paullulum ac vividiorem aquirere colorem: perdiu vero sanguinem retinere suam fluiditatem. Accedit locus se- pul-

pulturæ & indoles soli, cuius magna vis esse potest ad arcendam putredinem. Reliqua omnia vanam præferunt & anilem superstitionem, ad quæ explicanda non opus fuisset ex tenebris in lucem reducere monstra illa figmentorum, Animas Mundi, Spiritus æthereos, astrales, Dæmones intermedios, qualitates occultas, sympathias & antipathias, & nescio quæ alia, ipsis Vampyris pejora, minus credibilia.

## §. 20.

Ex quibus patet, multos Philosophorum nostra quoque ætate eodem morbo laborare, quo detinebatur DEMOCRITVS, rerum naturalium scrutator, si usquam quisquam fuit, acerrimus. Hic enim, cum ad mensam accumberet, & famula ei ficus porrigeret, melis dulcedinem sapore prodentes, exsurgebat subito, causam saporis tam insoliti exploratus, & situm loci, ubi istæ ficus essent decerptæ, sollicite perlustrabat. Tum vero famula, causa hujus tumultus intellecta, modice subridens, desine fatigare animum, inquit, ficus enim istas exceperam vase, quod erat melle imbutum. Cui ille indignatus, quod tam opportunam ingenium exercendi subtraheret occasionem, Apage, respondit, te garrulam, rem ingratam mihi fecisti. Nihilo tamen magis quiescam, quin inveniam causam multo subtiliorem. (m) Quod quidem eum optime

(m) PLUTARCHUS in *Sypos. Lib. I. Cap. X.*

me præstitisse credo. Quid enim ex atomorum occursum non potuisset efficere?

§. 21.

Sic nempe cum Philosophia comparatum est, ut ea ipsa ratio, quæ nos tam præclare ad veritatem ducit, interdum falsis probandis mire se commodet, & fiat difficile, quid eligendum, quidve rejiciendum sit, discernere. Id vero vitii plerumque habent Systemata, ut vocant, Philosophica. Hæc fontes sunt inexhausti, qui tot scatent principiis, suppositis & distinctionibus, ut ad quidvis demonstrandum sufficient. His instructi nihil tam arduum à natura positum inveniunt, quo nequeant eniti. Demonstrant quæ nemo comprehendit.

§. 22.

Fateor quidem, istud demum Systema esse genuinum, ex cuius legibus omnia, quæ in Physicis occurrunt, probari & explicari possunt; & quomodo fiant, & cur, his positis causis, aliter esse nequeant, perspicue traditur: nec eo inficias, nobis notas esse quasdem generales Naturæ normas & motuum leges, quarum constans & latissime patens videtur applicatio; sed modus, quo applicantur, quo artificio plures combinantur, qua inserviente materia, quibus intermediis machinulis ad certos quosdam producendos effectus determinantur, hæc omnia ita plerumque à Natura involuta sunt & à sensibus nostris

stris hebetibus abscondita, ut, quo quis diu-  
tius in contemplatione Naturæ versatur, eo  
fiat certior, hujusmodi Systema, quod perfe-  
ctum dici mereatur, ne sperari quidem posse:

## §. 23.

Reddam planius & magis perspicuum quid  
sentiam. Convenit hodie inter omnes,  
nullas mutationes physicas fieri sine motu;  
nullum corpus moveri, nisi impellatur ab alio  
corpore; omnem motum fieri secundum li-  
neam rectam; hanc directionem mutari non  
posse, nisi ab alia vi determinante; nihil fieri  
sine causa sufficiente; omnem actionem æqua-  
lem habere reactionem, & quæ sunt ejusmo-  
di, & ex his fere derivantur; hæc, inquam, sunt  
certissima, & in germinatione graminis sine  
dubio accurate applicantur. Jam vero, qua  
vi folia & radices protendantur? qui fiat, ut  
poruli radicum nullum aliud succum recipiant,  
quam illum, qui huic Plantæ convenit? cur iste  
succus in radice albus, in foliis viridis appareat?  
ubi fiat ista mutatio? quibus instrumentis?  
quo artificio? an mutatione mixturæ, an figu-  
ræ particularum? Hæc, si quis mihi ita expli-  
care poterit, ut queant intelligi, erit mihi ma-  
gnus Apollo.

## §. 24.

Sed quorsum hæc? Dicam. Nihil mihi vi-  
detur in omni vita jucundius, nihil liberalius,  
nihil isti fini, quem Summus Creator, dum hoc  
universum nostris oculis subjiceret, & tribue-  
ret

ret nobis rationem, sibi proposuit, magis consentaneum, quam Naturæ phænomena, eorumque causas ita animo perlustrare, ut intelligamus vim Numinis, quod hæc omnia effecit & moderatur, Ejusque adorandam suspiciamus sapientiam. Vellem itaque aliqua ratione cum excitare, tum adjuvare studia eorum, qui ad scientiæ naturalis culturam se primum conferunt, & indicare scopulos, quibus tanquam tempestate delati in medio cursu plerumque solent adhærescere.

### §. 25.

Hic vero nihil in speciem fallacius est, quam ista nova Systemata, quorum conditores ex suis principiis difficillima quæque evidenter demonstrare pollicentur, & sœpe mira fiducia & levj negotio causas naturales exponunt earum rerum, quæ omnem intelligentiam humanam superant. Hæc, Lector amice, tibi semper sint suspecta. Fieri enim vix potest, quin ista principia, si recte rationes inde concluduntur, suo destituantur fundamento. Acutioris Physici est, hujusmodi rerum causas ignorare.

### §. 26.

Qui autem remissius agunt, & majorem adhibent cautionem, ignorantiam suam ingenuè fateri, quam obscurarum quæstionum speciose quidem excogitatas, at non satis solidas explicationes pertinaciter defendere malunt. Et, si quid phænomenorum, de quorum vera existentia liquide constat, evolvere suscipiunt, ex prin-

principiis simplicibus, manifestis ac observatione confirmatis rationes accurate inter se connectunt, & seriem causarum à primis istis principiis usque ad eum, de quo agitur, effectum sibi invicem immediate succendentium ita persequuntur, ut alterum non promoveant pedem, quin alter satis firmo nitatur vestigio: ubi autem hæc exacte fieri nequeunt, præter conjecturas nihil promittunt.

## §. 27.

Sed ad id, quod erat propositum, redeat oratio. Plerique homines, dum Ludis Musicis intersunt, præprimis illis, qui majori apparatu instituuntur, & *Opera* vocantur ab Italib, in principio concentus harmonici insolitum quendam horrorem per totam cutim oberrare, & aliquam capillorum erectionem experiuntur. Omnis sanguis ad interiora revocari videtur, frigent plus minus extrema, præcordia grata quadam palpitatione agitantur, atque succedit respiratio lenta, profunda, cum sensu tremulæ titillationis. Corpora sic disposita, prout ille concentus modo intenditur, modo remittitur in varias rapiuntur agitationes & subsultus, quos ægre interdum cohibent. Sæpe etiam contingit, ut illi, qui rei Musicæ nunquam dederunt operam, *mensusam* tamen (den tact) vel pedibus, vel manibus, vel capite, nec ipsis cogitantibus, designent.

## §. 28.

Multo tamen magis afficiuntur animi audi-

dien-

dientium, qui pro varia Harmoniæ natura & serie modo in tristitiam delabuntur, modo afficiuntur gaudio, nunc furore corripiuntur, nunc deflectunt ad misericordiam. Et hoc omne fieri sola vi sonorum, ex eo patet, quod multi, linguam cantantium ne intelligentes quidem, adeo tamen ad illos, quos exprimunt, affectus commoveantur, ut interdum à lachrymis vix sibi temperare queant.

§. 29.

Hoc vero plerosque dico experiri, quia pro diversitate temperamentorum, ætatis, consuetudinis, pro diversa fibrarum nervearum rigiditate vel laxitate, structura, vel connexione in hoc, vel illo individuo admodum diversi solent observari effectus Musices in homines. Siquidem alii ex fibris tam crassis & inflexilibus videntur esse conflati, ut exquisitissimis instrumentorum Musicorum concentibus, quibus extra se quasi rapiuntur delicatuli, nihil magis moveantur, quam stipites: Alii eam à natura acceperunt fibrarum discordiam, ut ab omni harmonia Musica prorsus abhorreant, nec quicquam sonorum sine magna molestia & anxietate tolerare possint. Fugiunt, quæ ab aliis habentur in deliciis: obturant aures, ubi alii cupide auſcultant.

§. 30.

Omnibus denique compertum est, dari certa sonorum genera, quæ plerumque ingratam aliquam exhibent perceptionem. Ita homi-

homines fere omnes ægre ferunt sonum, qui fit, dum cultro stannum, aut alia metalla radimus. Dentium etiam stupor suboriri, & nescio qualis totam cutim stringere solet horripilatio, dum audimus acutum illum & insolitum stridorem à motu limæ, aut ferræ productum.

## §. 31.

Felium lamentabiles clamores, vagitus infantilis similes, tempore imprimis nocturno, licet cubieulis inclusi nihil periculi, aut incommodi sibi inde imminere probe sciant, plerique tamen adeo moleste ferunt, ut, iis durantibus, nec somnum capere, nec loco quiescere possint, quin potius anxie incalescant, & omni conatu illas abigere contendant.

## §. 32.

Ne quis vero existimet, hanc soni in nostra corpora operationem, æstimatione quadam morali & animi deliberatione vel adjuvari, vel omnino produci; &, ut potius manifeste pateat, eam materiali cuidam contactui, id est, aeris tremuli in corpora disposita actioni prorsus deberi, non incongruum hic erit, ea etiam allegare exempla, quæ de Soni in corpora brutorum efficacia testantur. Ita bestiæ sæpe immanes cantu flectuntur & subsistunt. n) Atque Leo & Elephas cantu Galli gallinacei terrentur, symphonia vero Musica mulcentur & tympanorum sono. Elephantos porcina

B

vox

(n) CICERO *Orat. pro Arch. Poet.*

vox terret (o); imo recens natorum porcellorum clamor iis terrorem incutit, non secus ac generosioribus equis, præsertim Scythicis ruditus asinorum, quem valde horrent (p) Et narrat BAGLIVIUS: *Vidi canem, cui adeo flexus erat Citharae vel alterius instrumenti Musici sonus, ut, eo auditu, in magnos ululatus ac fere in luctum conjiceretur* (q). Quod experimentum in aliis etiam canibus admodum est familiare.

## §. 33.

Habent tamen etiam ipsæ bestiæ, uti modo innuimus, certos quosdam sonos in deliciis, quibus exauditis, placide appropinquant, & valde mansuetas se præbent. Vnde, teste MORHOFIO (r), fuit in Anglia, qui experimentum cœpit, quomodo per Musicam certi generis & certæ formæ cicurari bestiæ possint. Neque desunt etiam vulgo exempla, capi stupida & bruta animalia posse certo soni genere, qui aptus est movere spiritus animales. Ita Delphines afficiuntur voce *Simonis*, & notarunt nonnulli asinum imprimis affici voce *Martini*, semperque respondere, si voce hac appelletur. Qua ratione itaque non nisi ad vocem *Pikidi* accurrit mas coturnix, quod opinetur foemellam adesse; si nimirum arti-

cu-

(o) SENECA Lib. de Ira.

(p) PETRI Elephantogr.

(q) Dissert. de Tarantula pag. 638.

(r) Polyhistor. Tom. II. Lib. I. Cap. 2. pag. 150.

culatio soni fiat per fistulam osseam, non ita per æream: & reliquæ etiam volucres per suos sonos afficiuntur. (s)

### §. 34.

His adde Elephantes saltandi artificium doctos, ita, ut ad pulsum chordarum ducerent choreas, mures atque araneas artificem testudine canentem obſidentes, glires in funibus saltantes, apes cymbalis revocatas & tranquillatas, equos buccinis tympanisque alacriores redditos &c. (t)

### §. 35.

Dantur corpora, quorum particulæ percussæ cedunt à superficie introrsum, impellunt interiores, & hæ deinde, si modica est crassit s, particulas in superficie opposita sitas protrudunt, & ita parum à vicinis sejungunt; ea tamen vi, qua adhuc coh rent, celerrime restituuntur, id est, reagunt in particulas medias impetu paulo minori, quam erat prima percussio; quoniam singulis momentis, quibus ab una particula ad alteram transit impetus, tantum imminuitur, quanta est resistentia in singulis particulis inventa. Ista guntur particul , qu e prim e erant percuss , aguntur iterum extrorsum paulo ultra limites prioris superficie, hinc eadem vi cohesionis quasi retrahuntur, vel potius reagunt. H c

B 2

singu-

(s) *Sid. Dissert. SCHOENGASTII de Enkurek Petrarum, Lipsiae habita 1668.*

(t) *Sid. Histoire de la Musique Chap. XIII.*

singula fiunt tempore breviori, quam concipi potest, aliquoties reiterantur, semper immutis viribus, donec tandem penitus quiescat corpus.

## §. 36.

Reciprocam illam particularum actionem & reactionem vocant *motum tremulum*, & corpus, hujus motus capax, *Elasticum*.

## §. 37.

Si corpus quocunque elasticum percutitur, & motum tremulum concipit, hunc aëri ambienti communicat, qui à centro versus omnes peripheriae partes propagatur, ad aures usque nostras pertingit, per nervos simili modo affectos Cerebro communicatur & percipitur, hoc appellamus *Sonum*.

## §. 38.

Quo magis compressus est aer, eo magis intenditur sonus, unde fortior observatur hieme; ubi tamen etiam concurrere videtur aucta à frigore elasticitas corporum sonorum.

## §. 39.

Quo rarior est aér, eo debilior sonus, & in vacuo prorsus nullus.

## §. 40.

Obtunditur etiam & debilitatur in aere multis effluviis repleto, id quod observamus, si vox per aerem aquæ incumbentem transmittitur. Cui accedit, quod aqua debilius reflectat soni radios, nimis cedendo vi suæ fluiditatis, & propagando potius tremorem in se ipsam.

## §. 41.

## §. 41.

Tremorem enim sonorum continuari per aquam, testimonio sunt pisces, qui cum silentio capiuntur: consuetudine etiam quidam in vivariis ad cibum congregantur cum plausu & sonitu campanarum. In piscinis Cæfareis genera piscium ad nomen venisse quosdam singulos, narrat PLINIVS (u): & testantur urinatores audiri sub aqua, hoc quidem minus, quo longius à superficie absunt, & altius aquis immerguntur (w).

## §. 42.

Soni propagati velocitas augetur vento adverso, & quidem magis vel minus pro ventorum viribus (x).

## §. 43.

Sonus propagatur successive, spatio minuti secundi horæ 968. pedes Anglicos absolvendo secundum *Illustr. BOERHAAVE*, & 1142. secundum *DÉRHAM*.

## §. 44.

Æqualibus temporibus æqualia spatia conficit magnus & parvus sonus (y), gravis & acutus (z).

## B 3

## §. 45.

(u) *Lib. X. Cap. LXX.* & *vid. LUCIANVS περὶ τῆς Συγίνεταις pag. 852.*

(w) *vid. DIGBÆVS I. de Nat. corp. 28. GASSENDVS Philos. Epic. Tom. II. p. 368. & Cel. BERGERVS Lib. de Nat. Human. p. 392.*

(x) *DERHAM Theolog. Phys. pag. 132.*

(y) *Cel. BOERHAAVE Instit. Med. S. 547.*

(z) *DERHAM ib.*

## §. 45.

Ad ejus accelerationem nihil facit neque caloris neque frigoris; neque lucis, neque tenebrarum; neque cœli nubili, neque sereni, neque Mercurii in barometro varietas (a).

## §. 46.

Sonus progreditur & reflectitur ut radii luminis (b).

## §. 47.

Radius luminis solitarius est fasciculus ex septem omnino variis radiis coloratis factus, qui secundum totam suam longitudinem sibi invicem apponi possunt, rursusque ita à se mutuo dissilire, ut quilibet suum exhibeat colorem, iterumque adunari in unum radius lucidum, demonstrante Magno NEWTONO.

## §. 48.

Si hujusmodi radius à solido quodam reflectitur, tunc angulus reflexionis est æqualis angulo incidentiæ: id quod etiam valet de sonorum radiis.

## §. 49.

Si alicujus superficie i illæ sunt inæqualitates, ut radius lucidus incidens dirimatur, e. g. sex radii colorati absorbeantur, & septimus solus reflectatur, tunc ista superficies eum videtur habere colorem, qui est in radio reflexo.

## §. 50.

(a) *Ibid.*

(b) *Csl. BOERHAAVE l. c.*

## §. 50.

Hoc quidem non præcise idem, sed tamen affine quid pati pro varietate colorum in superficiebus reflexos sonos suspicionem movent sequentes rationes.

## §. 51.

Vox emissa in conclavi, cuius parietes nigro colore obduicti sunt, depressa, languida, satis tamen distincta percipitur.

## §. 52.

In conclavi, cuius parietes albo colore nitent, fonus observatur vegetus, clarus, distinctus.

## §. 53.

Certissimum est experimentum, quod in conclavi, cuius parietes magna colorum varietate ornantur, vox loquentis, vel canentis satis quidem fortiter, si vividi sunt colores, diffundatur, sed nescio quæ variorum quasi sonorum confusio impedit, quo minus singula verba distincte intelligi possint.

## §. 54.

Ex quibus forte colligere licebit, radios soni à diversis coloribus diversimode reflecti.

## §. 55.

Est tamen aliquid in reflexione soni, quod non est in reflexo lumine. In illa enim magna vis est diversæ soliditatis in corpore reflectente.

## §. 56.

Omne enim solidum certi tantum tremoris est capax.

## §. 57.

Et licet omne solidum reflectat quemlibet sonum, si tamen hic incidit in superficiem corporis homotoni, tremor aëris vegetius & diutius continuabitur, & contra.

## §. 58.

Deinde hoc in genere certum est, radios soni debilius, vel fortius reflecti, pro diversa soliditate corporum reflectentium.

## §. 59.

In conclavi quod aulæis nigris (§. 51.) cingitur, vox loquentis deprehenditur pura quidem, sed mollior, depressa & quasi suffocata, & Oratori molestum paritur negotium.

## §. 60.

Ubi vero parietes constant ex materia solida, candido colore undique obducta, ibi vox aures ferit acuta, fortis, valide & uniformiter resiliens, hinc grata & distincta.

## §. 61.

Unde patet ratio, cur iidem parietes debilius sonum remittant in conclavibus diutius inhabitatis, quam recens exstructis. In illis nempe effluvia pinguis à cibis & hominibus emissa parietibus adhærent, eosque ita tegunt, ut vim refractionis infringant. (§. 58.)

## §. 62.

## §. 62.

Multum denique interest, ut Auditoria eam habeant figuram & parietum dispositionem, quo sonus reflexus ad aures audientium in maxima copia dirigatur.

## §. 63.

Ergo Conclavia pro concentu Musico, vel orationibus habendis ita sint constructa, ut figura, quantum fieri potest, sit regularis: optima rotunda. Parietes sint politi, ex materia dura constantes, albo colore undique obduicti; absit nimia ornamentorum varietas, & sonus obtinebitur fortis, acutus, clarus & distinctus in loquentium vel canentium commodum pariter ac audientium. (\*)

## §. 64.

Inter eos, qui in rationes motuum chordarum tensarum inquisiverunt, eminent i) Pater FRANCISCVS de LANIS è Societate Iesu, qui integro Libro septimo Tomi secundi Magisterii Naturae & artis plerorumque cogitata in unum collecta, exponit. Sed, dum veras quidem recenset proportiones inter vibrationes chordarum respectu habito ad varias circumstantias earum longitudinis, crassitiei & tensionis, hæc ipsa tamen nullis idoneis demonstrationibus confirmavit, nec ausus est determinare tempus absolutum, quo singulæ cujusvis chordæ

B 5

ten-

(\*) bac eadem cogitata jam exposui in Corollariorum Dissertationis de Morbis Epidemicis 1727. hic Erfordia habita.

tensæ vibrationes peragi debent. 2) BROOK TAYLOR, Regiæ Societati Londinensi à secretis in *Tractatu de Methodo incrementorum directa & inversa*. Qui tamen etiam in eo hallucinatur, quod formam vibratæ chordæ tanquam cognitam assumat, & alia supponat, quæ multis dubiis adhuc sunt obnoxia. 3) Celeb. JOH. HERMANNVS in *Disquisitione de vibrationibus chordarum tensarum*, ACT. ERVDIT. LIPS. Ann. 1716. Mens. August. pag. 370. inserta, ubi hoc argumentum solide pertractatur, additis demonstrationibus Algebraicis.

## §. 65.

Si chorda tensa pulsatur, tremit, dat sonum, & omnia in ea observantur, quæ de corporibus elasticis diximus (§. 35). Ergo non tantum pro corpore elasticō habenda est, sed etiam tremor ab ejus elasticitate erit derivandus.

## §. 66.

Tonus est sonus determinatus ex alio sono \*).

## §. 67.

Ad certum quendam obtinendum tonum concurrunt in chorda hujus longitudo, tensio, crassities & gravitas specifica, sive soliditas.

## §. 68.

Omnes cujusque chordæ vibrationes sunt isochronæ.

## §. 69.

Chordarum ejusdem materiæ & crassitiei & æqualiter tensaruin vibrationes sunt, ut longitudo.

\*) Crl. HAMBERG. El. Phys. §. 336.

tudines; numerus vero vibrationum eodem tempore factarum in reciproca ratione longitudinum, seu temporum.

## §. 70.

Chordarum ejusdem specificæ gravitatis & æqualiter tensarum, sed diversæ longitudinis & crassitiei vibrationes sunt in composita ratione longitudinum & crassitierum.

## §. 71.

Chordarum æqualiter tensarum vibrationes sunt in ratione composita ex rationibus longitudinis & crassitiei & subduplicatae specificæ gravitatis chordarum. (c)

## §. 72.

Ergo duæ chordæ diversarum longitudinis, tensionis, crassitiei & soliditatis eundem tamen reddere poterunt tonum.

## §. 73.

Nihil igitur erit in isto chordæ tremore, ex quo tonus constanter judicari queat, quam æqualitas temporis, quo efficitur quævis vibratio.

## §. 74.

Compendii causa in sequentibus eandem supponemus chordarum crassitatem & soliditatem; sic erit omnis diversitas tonorum à diversa earum longitudine & tensione.

## §. 75.

(c) Paragraphorum à 67. ad 71. demonstrationes vid. ACT. ERVDIT. 1716. pag. 371. sqq.

## §. 75.

**Quo brevior est chorda , eo minus est tempus singularum vibrationum (§.69.), & eo acutiorem dat sonum ; & contra.**

## §. 76.

**Unde etiam Musici candem chordam , quæ prius graviorem edebat tonum , per digitorum applicationem & compressionem abbreviant , atque ita tonum producunt acutiorem.**

## §. 77.

**Monendum tamen , in hac Praxi chordam , ut desideratum edat tonum , semper relinqu debere paulo longiore , quam secundum principia theoretica esse oporteret , si eadem maneret tensio ; quia hæc necessario per compressionem quantumvis augetur.**

## §. 78.

**Quo major est tensio , eo minus est tempus singularum vibrationum ; & eo acutior obtinetur tonus ; & contra.**

## §. 79.

**Duæ chordæ ejusdem longitudinis & tensionis eundem dant tonum.**

## §. 80.

**Sint duæ chordæ ejusdem tensionis , sed di versæ longitudinis , ita , ut longitudo unius sit ad longitudinem alterius ut 1 ad 2 , & erit tempus singularum vibrationum in prima ad tempus vibrationum in altera , ut 1 ad 2 .**

## §. 81.

## §. 81.

Dupla ista proportio temporum, quibus fiunt vibrationes, id est, Tonorum, vocatur *Octava* à Musicis.

## §. 82.

Si chordarum æqualiter tensarum longitudes sunt:

- 1) ut 4 ad 5, tonus est *tertia major*.
- 2) Si sunt ut 3 ad 4, tonus dicitur *quarta*.
- 3) Si ut 2 ad 3, tonus dicitur *quinta*.
- 4) Si ut 8 ad 15 tonus dicitur *septima major*.

Ergo

- 5) Si ut 1 ad 3, erit *quintæ octava*.
- 6) Si ut 1 ad 4, erit *octava dupla*, vel *se- cunda*.
- 7) Si ut 1 ad 5, erit *octavæ duplæ tertia*  
(n. 1 & 6)
- 8) Si ut 1 ad 8, & paulo minus erit *octavæ duplæ septima* (n. 4.) (d)

## §. 83.

Omnis soni effectus in corpora quæcunque dependet à motu tremulo his communicato. Quæ tamen motus undulatorii communicatio eo majori fit cum efficacia, quo aptior in corporibus ad eum recipiendum est dispositio; hæc vero consistit in simili vel affini cum corpore primum moto tensione, longitudine & elasticitate.

## §. 84.

Anno 1723. quidam, cuius nomen mihi ex-  
cidit,

(d) *Cel. HAMBERG. Element. Phys. s. 346.*

cidit, in illustri Confessu Academiæ Scientiarum Parisiensis Dissertationem prælegebat, cuius de Soni natura potissimum erat argumentum. Inter alia perpendebat rationem, ob quam in instrumentorum Musicorum *superiori tabula* (den Resonanz-Boden) figura S vel O incidatur, & pro fortiori obtinendo sono incidi oporteat. Cujus rei disquisitio, quoniam nostræ tractationi non parum luminis affundere potest, in quo maxime consistat, brevibus exponam.

### §. 85.

Quotidiana quemlibet docere potest experientia, quod, dum chorda certi cujusdam toni pulsatur, & in vicinia adest alia quædam homotona, licet intacta, hæc tamen ab illa prius percussa in eundem motum tremulum concitetur non solum, sed eundem etiam reddat sonum, & ita sonus multiplicetur, & fiat fortior, reliquis interea chordis, si quæ præsentes sunt aliis cujusdam toni, penitus quiescentibus. Hæc autem motus tremuli propagatio à chorda pulsa in aliam ejusdem toni tanta est, ut & oculis conspicatur in hac tremor, & ad rupturam usque intendi queat.

### §. 86.

Credo hujus phænomeni rationem reddi posse ex superius demonstratis. Ponamus duas chordas, non multum à se invicem lateraliter distantes, ejusdem longitudinis & tensionis: Harum altera pulsetur, quiescat altera: Chorda pulsa vibrat aërem, qui impellit chordam qui-

quiescentem vicinam; & quia ambarum vibrationes fiunt temporibus æqualibus (§. 79. 73), hujus debiles & recens excitatæ vibrations, quæ desissent non observabiles, redintegrandur, intenduntur, & singulis illius vibrationibus sustentantur & augentur. Sic chorda prius quiescens concitatur in motum tremulum vi fere æqualem illi, qui est in chorda pulsa, & reddit eundem sonum.

### §. 87.

Ne quis mihi objiciat motum istum aeris tremulum, à chorda pulsa excitatum, nimis esse languidum pro commovenda altera chorda quiescente. Demonstratur enim in Mechanicis, chordam vi infinite magna tensam incurvari posse à vi infinite parva. Hoc, si recte ad nostrum casum applicatur, ut nihil impedit, quin fiat, poterit esse loco demonstrationis.

### §. 88.

Hinc etiam manifesta videtur esse ratio, cur chorda pulsa aliam diversæ longitudinis, vel tensionis ad easdem vibrationes commovere nequeat. Supponatur enim hujus e. g. tensio minor, & erunt tempora vibrationum majora (§. 78.); secundus itaque aëris vibrati impulsus ad hanc pertinget eo temporis momento, quo nondum suum spatiū absolvit; ergo tertius occurret recedenti chordæ, impediet vegetam ejus restitutionem, & plane ineptus erit ad juvandum ejus motum tremulum.

### §. 89.

## §. 89.

Plus tamen poterit chorda suam octavam commovere, per easdem rationes.

## §. 90.

Si in conclavi quodam plura organa, quæ chordis instruuntur, parietibus appensa, vel mensis imposita quiescunt, & unum pulsatur instrumentum; tunc in omnibus reliquis chordæ, quæ eandem cum fidibus tactis longitudinem & tensionem habent, grato susurru concentum augent ita, ut plura instrumenta simul tangi videantur audientibus.

## §. 91.

Huc etiam pertinet, si à chordis ad alia instrumenta transimus, illud, quod habet MORHOIVS (e) de scyphis vitreis filo suspensis, qui vocis humanae sono  $\text{μοτόνη}$  continuato fremunt primo, ac tunc contremiscunt, tandemque in frusta dissiliunt. Cujus rei veritatem non tantum MORHOIVS ipse expertus retulit, & Cel. HEISTERVS, dum Angliam lustraret, à se multoties visam confirmavit (f), sed etiam quilibet facili experimento poterit comprehendere.

## §. 92.

Item aliud de duobus ejusdem soni tympanis, quorum altero percusso, alterum quoque valide

(e) *Dissert. Epistol. quam Stenterohyalocasten, seu de Scypho vitreo per certum humanæ vocis sonum fracto inscribit.*

(f) *Sid. Diff. D. VVAGNERI de Matheos in Medicina utilitate, Helmstadii habita 1731.*

valide commovetur, tremit, sonat & globulos impositos subsultu excutit; imo, si alterum tympanum in conclavi vicino clausis foribus pulsetur, alterum quodammodo consonat, & pisa imposta evidenter moventur.

### §. 93.

Instrumentorum Musicorum *superiores tabulae* (die Resonanz-Boden) conficiuntur ex ligno tenui, levi, poroso & fibroso. Hinc in iisdem quælibet fibra lignea considerari potest, tanquam chorda certæ cujusdam longitudinis & tensionis; hinc certi cujusdam soni capax.

### §. 94.

Hic duo potissimum probanda erunt: 1) Fibram ligneam ab aere tremente in similem motum tremulum concitari posse; 2) in fibra lignea concipi posse tensionem, vel simile quid, quod eundem præstet effectum.

### §. 95.

Omne corpus reflectit sonum, & quidem eo fortius, quo magis est elasticum; & contra.

### §. 96.

Poterit igitur esse tam debilis elasticitas, ut tremor in corpore fiat insensibilis; tale quid fieri debet in substantia porosa fibris solidioribus interjecta.

### §. 97.

Soni reflexio à corpore elastico fit, dum ab aere impellente particulæ solidi comprimuntur, & subito se iterum restituunt, & hoc ali-

quoties repetitur (§. 35.), hinc aërem aliquoties repellunt.

§. 98.

Ergo ab aere tremente etiam in fibra lignea poterit excitari tremor.

§. 99.

Et quidem eo facilius, quo magis porosa & mollis est substantia singulis fibris interjecta. Cum hac enim eo laxius cohærebit, hinc eo minus impedietur in suo tremore.

§. 100.

Hic tremor erit homotonus, si fibræ commovendæ eadem est longitudo & tensio cum chorda prius pulsâ.

§. 101.

Sint duæ fibræ ejusdem longitudinis, sed diversæ soliditatis, & pulsarum toni, sive tempora vibrationum erunt, ut soliditates.

§. 102.

Quia soliditas judicatur ex vi, qua singulæ particulæ inter se cohærent; & illa vis est omne illud, quod in Elastico existens tremorem efficit & sustentat (§. 35.); hinc eadem quoque sola erit causa, ob quam celeriores, vel tardiores fiant vibrationes; id est, si soliditas est dupla, duplus etiam erit numerus vibrationum eodem tempore fientium.

§. 103.

Quia omnes hæ fibræ ligneæ sunt ejusdem soliditatis, toni in illis determinabuntur diversis longitudinibus.

§. 104.

## §. 104.

Duæ igitur fibræ ejusdem longitudinis dant eundem tonum, & possunt haberi pro æqualiter tensis.

## §. 105.

Ergo quælibet fibra lignea in superiori tabula instrumenti Musici haberi potest pro chorda certæ cujusdam longitudinis & tensionis.

## §. 106.

Notandum etiam, fibram multo fortius & diutius tremere, si altera ejus extremitas hæret in aere libero.

## §. 107.

Quia sonus alicujus chordæ solitarius debilis est, & non satis gratus; fortior vero & multo gratior, si aliæ fibræ simul commoventur; hæ autem fibræ cum chorda percussa ejusdem debent esse soni (§. 100.); chordarum vero longitudines, ut varius obtineatur sonus, vel perpetuo mutantur (§. 76.), vel diversæ sunt tensiones; ideo, ut harmonica quædam fiat consonantia, cujuscunque longitudinis fibræ lignæ ibidem inveniantur necesse est. Id quod per supra indicatas incisiones obtinetur.

## §. 108.

Ob eandem rationem in quibusdam tetra-chordis subtenduntur fidibus chordæ metallicæ, quarum quælibet in eum tonum coacta esse debet, qui in concentu reliquis occurrit frequentior.

## §. 109.

Multa hic neglecta circa formationem soni per flatum in varii generis fistulis & tubis, à nemine, quod sciam, tacta, vel, ut merentur, pertractata, relinquo ingenio & rerum huc pertinentium ubertate me felicioribus. Difficilem quidem prævideo fore quæstionem, sed non inexplicabilem. Sonus erit ubique à motu tremulo aeris; tonus semper dijudicabitur ab aliis tonis ex tempore singularum vibrationum. Inquirendum itaque restaret, quibus & quot modis à diversis instrumentis pneumaticis istæ vibrations excitentur: quod ab aliquo fieri operæ esset pretium.

## §. 110.

Sed cui bono? Nescio. Eo tamen non minus scire cuperem. Philosophorum enim non eadem est ratio ac Opificum, qui sine certa proposita mercede nihil suscipiunt; illis voluptas, quam ex cognita rerum natura percipiunt, omnem laborem abunde compensat.

## §. 111.

Deinde ex rerum investigationibus, quæ plus subtilitatis, quam commodi habere videbantur, magnæ sæpe extiterunt utilitates, de quibus illi, qui primi istas aggressi sunt, ne cogitaverant quidem. Hoc interdum accidit mathematicis, ut, dum ingenii acuendi causa abstrusissima enodare conarentur problemata, summi usus invenirent veritates, quas non quæsiverant.

## §. 112.

## §. 112.

De structura auris & in ea singularum partium usū luculenter & accurate egerunt **VAL-SALVA** (g) & **DU VERNAY** (h): optime vero & acutissime præcipua momenta in concinnum ordinem coegit **Vir consummatæ eruditio-nis HERMANNVS BOERHAAVE** (i), cui parrem Medicina non habuit, consensu omnium, quibus datum est, tanti viri scripta legere & intellegere.

## §. 113.

Tremor aëris aliquam sui ideam in cerebro humano excitaturus primo agit in aurem externam, quæ constat ex cartilagine circa marginem tenuiori & flexiliore, sed quo propius accedit ad os petrosum, eo crassiore & solidiore, tota tremula & elastica, continuando ciden-m fono idonea.

## §. 114.

Cujus diversa & insensibiliter aucta soliditas efficit, ut cuilibet fono excipiendo & reflecten-do fiat apta. (§. 57.)

## §. 115.

Et cujus omnes eminentiæ, quibus instructa est, inserviunt determinandis sonis in con-cham exteriorem.

## §. 116.

Quæ ope suorum muscularum modo tendi,

C 3

modo

(g) *de Auditu.*

(h) *de organo Auditus.*

(i) *Institut. med. s. 547. sqq.*

modo relaxari, & ita ad varios excipiendos sonos aptari, nobis insciis potest, eodem fere artificio, quo pupilla oculi modo dilatatur, modo contrahitur, pro varia radiorum lucidorum copia.

§. 117.

Adjuvat hanc soni ad interiora auris reflexionem lingua triangularis, cartilaginea, exteriori margini meatus auditorii opposita, cuius auxilio, quicquid tremoris ad aurem externam appellit, detorquetur in meatum auditorium.

§. 118.

Cujus pari ratione, quo profundius immergeatur, eo magis soliditas augetur, & tandem fit ossea & petrosa, membrana tensa, glabra & nervea cincti tubuli, mire inflexi, tympano terminati, in quod omnes soni reflexi diriguntur.

§. 119.

Membrana vero tympani modo introrsum arcuata tendi, modo extrorsum in planiorem laxata superficiem remitti potest à malleo adhærente, suis musculis instruто: ut docet ejus situs, figura & admiranda Mechanice.

§. 120.

Hinc eadem membrana infinitis tremorum speciebus concipiendis accommodari & easdem interiori aeri imprimere valet. Nempe, quo sonus est acutior, eo magis tenditur; & contra.

§. 121.

## §. 121.

Hæc duo: 1) in membrana tympani ipsum appulsum aëris trementis esse causam occasionalem determinantem, ob quam illa proportionate tenditur, vel relaxatur: 2) sonum non percipi, nisi tensio membranæ sit homotona; egregie confirmantur exemplis surdastrorum, qui ope magni strepitus vocem loquentium satis distincte audiverunt.

## §. 122.

Sic enim narrat WILLISIVS (k) de fœmina, quæ surda quidem, quamdiu nihilominus in conclavi tympani bellici sonus aures ejus circumstrepebat, adstantium alloquia distincte capiebat, cessante vero immaniore isto strepitu, statim obsurdescebat, cuius maritus ideo tympanistam pro servo domestico conducebat, ut illo mediatore colloquia interdum cum uxore haberet. Cujusmodi observationes pas- sim plures extant (l)

## §. 123.

In hac fœmina & similibus surdastris fuit membrana tympani nimis laxa, ita, ut occasione tremoris, quem excitabat vox humana, tenderetur quidem, at non ea vi, quæ requirebatur, ut fieret homotona, hinc eundem non poterat concipere (§. 57.), nec communicare aëri interiori; hinc nulla perceptio. Acce-

C 4

dens

(k) *de Anima brutor. Lib. 1. cap. 14.*(l) *apud VVILLIS. ib. TRANSACT. PHILOS. ANGLIC.*

dens vero strepitus vehementior tympani bellici eam tendebat, iterum quidem non eo gradu, ut ipse perciperetur, sed tamen qui sufficeret pro recipiendo & exercendo tremore à voce humana producto, unde hanc clare audiebat.

§. 124.

Sed quid, si sonum gravem & acutum simul audimus? impossibile videtur tympanum laxari & tendi simul. Hic multæ oriuntur suspiciones, quorum illas, quibus aliquid veri inesse credo, prodam.

§. 125.

An malleus, cuius manubrium adnatum membranæ tympani ad hujus fere centrum pertingit, hanc membranam, varietate sonorum sic exigente, oblique trahere potest versus unam plagam marginis ossei, ita, ut intra hanc & centrum membranæ, fibræ sint laxiores, & intra centrum & oppositam partem marginis, tensiores; atque adeo utrinque omnibus modis diversæ obtineantur diversarum fibrarum tensiones, diversis tremoribus continuandis in una membrana aptæ?

§. 126.

An etiam gradus tensionis in hac membra na respondet maxime naturæ soni fortioris; ita, ut inde petenda sit ratio, cur sonus fortior officit debiliori?

§. 127.

Duo certe soni homotoni, à duabus chordis red-

redditi, eandem in hac membrana inveniunt tensionem, eundem inducunt tremorem, hinc ab audiente discerni nequeunt, sed unus videtur percipi, at fortior.

### §. 128.

Si diversi soni, quorum tamen vibrationes certo tempore coincidunt, simul agunt in membranam tympani, tunc quilibet suum tremorem poterit imprimere (§. 89.); alter tamen alterum temperat (§. 88.). An inde est, quod tam grata nos afficiat concentus harmonicus?

### §. 129.

An hinc etiam derivari potest perceptio molestia à sono alieno symphonix immixto, cuius tempora tremoris cum nullo illorum coincidunt? dum reliquorum tremores turbat, vel membranam ad aliam quandam tensionem sollicitat?

### §. 130.

Determinatur enim ista tensio membranæ tympani tum à sono (§. 121.) nobis vel invitatis, tum à nostra voluntate, licet nesciamus, quomodo hoc ipsum fiat.

### §. 131.

Quodsi nempe aliquem sonum obscuriorem accuratius cupimus percipere, possumus auscultando tensionem membranæ ita ipsis accommodare, ut reliquos omnes circumstrentes, modo sint modici, non audiamus. Id quod alias vocant *aures arrigere*.

## §. 132.

Nec minus, ubi plura instrumenta simul harmonice consonant, tensionem hujus membranæ ita temperare valemus, ut hoc solum, ad quod studiose attendimus, audiainus, reliqua vix quiquam operentur in nostrum sensorium.

## §. 133.

Hæc præterea membrana tympani ex tripli ci lamella, quarum media est vasculosa, constans irrigatur humido subtili, à sanguine exhalante, & paulo emollitur, pro obtinendo eo elasticitatis & tremoris moderamine, quale auris interna commode ferre possit.

## §. 134.

Cujus vero nimia humiditas & relaxatio inducit auditum gravem in Phlegmaticis; & sæpe surditatem in iis, qui ulcere aurium, vel ex alia causa harum nimia humiditate laborant; exsiccantibus sanandi.

## §. 135.

Acutius audiunt Cholerici, & qui sunt temperiei siccioris; imo sæpe observatum est, in febribus ardentibus & Cephalalgiis ita exartuisse hanc membranam, ut intolerabiliter auctus fuerit auditus, humectantibus & anodynis obtundendus.

## §. 136.

Hujus itaque membranæ functio, præter id, quod extranea, infecta & pulveres & aërem frigidorem arcet, in eo potissimum consistit,

ut

ut tremores ab extra irruentes eosdem quidem, quoad tonum, sed retusos propaget in aërem internum, tenuem & calore rarefactum; hinc mollius trementeim.

### §. 137.

Artificiose concatenata articulatio quatuor ossiculorum, mallei cum incude, incudis cum orbiculari, orbicularis cum stapede, & hujus connexio cum membranula fenestræ ovalis, quam infinitis modis tendere & laxare potest; horum omnium figuræ, musculi & situs docent, hoc omne eum in finem ita esse fabricatum, ut tensio membranulæ ovalis fenestræ semper sit æqualis tensioni Membranæ Tympani.

### §. 138.

Ab hoc itaque aër internus in tremorem concitatus commovet membranulam fenestræ ovalis, justo gradu tensam, quæ eundem tremorem non mutatum transfert in aërem cochleæ, à quo tandem imprimitur alicui nervulo in septo Cochleæ reperiundo.

### §. 139.

Possunt enim ibidem assignari infinitæ nervorum chordæ tremulæ, adeoque inter eas, numero vix numerabiles, semper erunt, quæ in concentu harmonico trement cum uno quoque sono, proindeque eum repræsentare possunt, & ut talem offerre sensorio communi (m).

### §. 140.

(m) Cet. BOERHAAVE Inst. Med. s. 563.

## §. 140.

Ex quibus colligere licebit, quantum temperari debeat iste tremor, ut nervis illæsis impri-mi queat.

## §. 141.

Item, quam parva & simplex mutatio ab ac-re tremulo nervis iudicata sufficiat ad ideam so-ni excitandam.

## §. 142.

Quæ tamen nihil major fit in reliquis Orga-nis sensoriis, ubi semper, ut exquisitus obtine-a-tur sensus, actio objecti externi ita debilitatur, antequam pertingat ad nervulum sentientem, ut omnem intelligentiam humanam supereret.

## § 143.

Multa studio prætermitto, & curiosa, & ad ulteriorem Organi auditus cognitionem perti-nentia. Plura videri possunt apud incompa-rabilem BOERHAAVE *l. c.*

## §. 144.

His detectis tamen multo plura adhuc dete-genda superesse fatebitur, qui considerat 1) in-finitas sonorum varietates, nobis satis distincte perceptas, ex quibus plerumque divinare pos-sumus, quonam instrumentorum genere fue-rint producti; 2) tres canales osseos semicircu-lares, quorum usus nondum ita manifeste per-spectus videtur, necessitas tamen tanta est, ut adsint in avibus & piscibus, qui cochlea carent (*n*); 3) usum incertum cellularum Processus

ma-

(n) DU VERNET *de Organ. audit. Part. II. pag. 24.*

mastoidei in concham internam hiantium ; 4) Nondum omnibus numeris absolutam notitiam distributionis nervorum in tota aure, nec horum communicationis, quam habent inter se, cum fibris medullaribus Cerebri, & cum nervis totius corporis &c. &c.

§. 145.

Neque sperare licet brevi tempore multum augmenti his notis accessurum, quia tam pauci hucusque tam admirabile Organon penitus perlustrare dignati sunt, cum interim plurimorum Anatomicorum ad idem perficiendum aliis animis, aliis patientia!, aliis dexteritas, aliis occasio desit.

§. 146.

Verum, uti effectus nervuli trementis ultius jam persequi jubet ordinis ratio, ita è re erit, pauca in genere præfari de formatione idearum in Sensorio communi productarum ab actione objecti externi in quodvis Organon sensorium. Quam rem à me rectius expediri posse, quam factum est à laudato BOERHAAVIO, desperans, id agam, ut aliquos ab eo mutuer paragraphos, hinc inde inferendo propria cogitata, illud forsitan aliquo modo illustrantia, quod quisque intelligens mecum admirabitur.

§. 147.

Quævis mutatio ab objecto externo Organo inducta nervo libero propagatur usque ad aliquem in cerebri medulla locum : & quidem à fin-

à singulo quoque nervo in singularem medullæ cerebroſæ plagam. Id ligaturæ, vulnera, corruptiones, nervorum & cerebri docent (o).

### §. 148.

Sed ibi recepta hæc mutatio tam parva, tamque simplex est, ut nihil fere simplicius, & certe præ ipsa simplicitate vix queat indagari, vel explicari (p).

### §. 149.

Quoniam tamen nihil aliud videtur esse posse, quam incurvatio quædam alicujus fibræ medullaris; hinc poterit forsitan concipi ut plica, ob aliquam similitudinem.

### §. 150.

Si porro supponere licet, istam plicam in sua fibra per temporis spatium majus vel minus, pro diversa vi, qua impressa est, subsistere posse, sensim vero evanescere, tunc tamen ibidem relinquere proclivitatem ad eandem, leviori data causa, recipiendam, hinc explicari possunt: idea fortior mox post perceptionem, post aliquod tempus debilior & obscurior, memoria, Oblivio, Recordatio.

### §. 151.

Plicæ in prima infantia factæ sunt maxime durabiles; unde Præjudicia Educationis.

### §. 152.

Cerebrum humidum magis memor erit,  
quam

(o) *Col. BOERHAAVE Instit. Med. §. 568.*

(p) *ibid. §. 569.*

quam siccum, quia illius fibræ plicam impressam diutius retinent; sed in hoc perceptio distinctior & vegetior, quia fibræ sunt magis elasticæ.

### §. 153.

Interim pro varietate objecti; pro diversitate nervi affecti; pro discrimine fabricati organi Sensus; pro variatione loci in medulla Cerebri, unde ille nervus; pro vario gradu motus, quo applicatur objecti actio; oritur in intellectu sentiente idea percepta varia, & nihil repræsentans quod est in actione objecti, vel in passione organi; sed tamen eandem actionem ejusdem objecti in idem Organum sequitur semper eadem idea; unde connexio harum idearum sequitur indeolem eandem organi sentientis dicti, haud aliter, ac si idea percepta esset effectus actionis objecti in Organon non (q).

### §. 154.

Non vero videtur diversitas hæc idearum pendere tantum à varietate illa, qua ultima pars nervi construitur, sed à multis aliis præterea non quidem causis, sed ex instituto Conditoris Adorandi, conditionibus (r).

### §. 155.

Et adeo, quantum assequi possumus, illa mutatio, quæ fibræ medullari inducitur, est omne illud,

(q) *ib. §. 570.*

(r) *ib. §. 571.*

illud, quod facit, ut de objecti externi agentis præsentia nobis simus consci.

§. 156.

Et illa quidem omnis pendet tantum à simplici illa conditione sensorii communis, quæ est ibi mera tantum mechanica dispositio (s).

§. 157.

Quæ, si à diuturna & efficaci objecti externi actione imprimitur, interdum immutata ibidem hærere potest satis diu, post sublatam objecti actionem, quam pergit exhibere, tanquam præsentem. Quale quid nobis accidere solet post magnum & continuum clangorem tubarum, vel campanarum tinnitus. (vulgo es ist mir noch immer vor den Ohren, als wenn ich es hörte.)

§. 158.

Qui acerrimo & chronicō dolore alicujus membra conflictabantur, ita, ut superveniens gangræna cogeret rescindere partem affectam, illi eundem saepe dolorem persentiantur, causa sua superstitem, & queruntur de summo cruciatu pedis, qui tamen ante aliquot dies ferro sublatus est.

§. 159.

Nec minus contingere poterit, ut causæ corporeæ in corpore, undecunque demum, latentes, nervos, spiritus, cerebrum eodem modo afficiant, quo causæ corporeæ externæ (t).

§. 160.

(s) *ib. §. 581.*

(t) *ibid. §. 582.*

## §. 160.

**Cogitationes & Somnia fiunt, dum series**  
**idearum ab objectis externis ope Organorum**  
**jam prius inductarum, denuo excitatur à cau-**  
**fis internis.**

## §. 161.

**Illæ causæ internæ, præter alias multas, for-**  
**sitan esse poterunt primariæ, 1) impetus san-**  
**guinis versus totum cerebrum, vel in aliquam**  
**ejus partem directus, 2) Sanguinis qualitas, 3)**  
**impetus & qualitas liquidi nervi, 4) disposi-**  
**tio viscerum &c.**

## §. 162.

**Quæ tamen nullas novas ideas valebunt**  
**producere.**

## §. 163.

**Unde confirmatur verissimum effatum: Ni-**  
**hil esse in intellectu, quod non prius fuerit in**  
**sensibus.**

## §. 164.

**Possimus tamen habere notitiam objecto-**  
**rum, quæ nunquam egerunt in nostra organa,**  
**tantum per auditionem & factam descriptio-**  
**nem.**

## §. 165.

**Sed illa descriptio est expressio unius rei**  
**ignotæ per plures alias notas, quæ combinatae**  
**illi æquipollent.**

## §. 166.

**Illæ plures aliae debent esse tales, quæ nobis**  
**sunt notæ, vel per immediatam objectorum in**

Organa nostra actionem, vel per alias factas descriptiones. Alias enim ignota per ignota explicarentur.

§. 167.

Si audimus hujusmodi descriptionem, per singula verba eadem fit fibræ mutatio, quæ facta fuit conspecto, vel percepto prima vice objecto illo, quod per illud verbum designatur.

§. 168.

In nostra enim infantia de ipsis verbis, quæ sine compræsentatione objecti enunciabantur, nihil percipiebamus, quam sonum, & fiebat plica in certis quibusdam fibris, quæ articulationem istius verbi denotaret.

§. 169.

Conspecto autem simul objecto, & auditu nomine, fiunt plicæ, quarum aliæ nomen, aliæ rem exprimunt, ea lege junctæ, ut his renovatis, illæ facile renascantur.

§. 170.

Unde perceptio, quæ fit per præsentiam objecti, est simplicior, distinctior & diutius inhæret, quam illa, quæ fit per descriptionem.

§. 171.

Substantia cerebri corticalis, medullam ubique ambiens, constat ex arteriis & venis, in modum glandularum contortis.

§. 172.

Istæ arteriolæ in eam tandem angustiam extenuantur, ut pars sanguinis crassior, rubicunda

da ulterius progredi nequeat, hinc secedat in lateralia principia venularum, redeat ad massam, reliquum vero subtilissimum, sub nomine Spiritus, vel liquidi nervi, pergit recta via in ultimum arteriæ continuatae filamentum, quod fibram medullarem cerebri vocamus (u).

### §. 173.

Tot sunt hujusmodi fibræ, quot extremitates arteriosæ possibles in toto cortice Cerebri, Cerebelli & appendicis Spinalis.

### §. 174.

Hæ fibræ, quarum compages constituit Sensorium commune, sunt principia nervorum ad omnia corporis puncta porrectorum.

### §. 175.

Immo credibile est, omnes partes solidas corporis contextas esse fibris nervosis, atque iis constare (w).

### §. 176.

Nervi sunt triplices ratione originis. Alii enim ex Cerebro, alii ex Cerebello, alii ex medulla spinali prodeunt.

### §. 177.

Horum illi, quos Cerebellum emittit, motibus involuntariis soli dicati esse videntur. Reliquorum vero pars sensui, pars motibus voluntariis praest.

D 2

### §. 178.

(u) RUTSCH Th. Anat. 6. pag. 55. 56. Epist. 12. T. 3. 14. 15. in omnibus figuris.

(w) Cel. BOERHAAVE Instit. Med. S. 301.

## §. 178.

Nervos enim sentientes & moventes prorsus à se invicem distinctos esse arbitror, & hoc confirmant illæ Cerebri læsiones, ubi membra modo privantur motu, relictæ sensu; modo sensu destituuntur, motu utcunque integro.

## §. 179.

Ita, ut actio nervi sentientis incipiat in ejus extremitate, & continuetur usque in medullam Cerebri, suam originem, ibidem imprimat pli-  
cam, qua mutetur vicinum principium alicuius fibræ moventis, cuius mutatio ab origine propagetur usque ad eum musculum\*, cui inseritur, eumque moveat.

## §. 180.

Ista mutatio nervo moventi inducta forsitan poterit consistere in aucto impetu liquidi nervi per eum fluentis.

## §. 181.

Ut adeo nullus fiat sensus, quin simul moveantur fibræ motrices plures, pauciores, cutaneæ, musculares, membranaceæ internæ, fortius, debilius, insensibiliter, pro varia actione objecti externi, pro varietate Organii & diversitate fibræ moventis cum fibra sentiente communicantis.

## §. 182.

Videntur tamen fibræ involuntarie moventes ad hunc subeundum consensum esse aptiores

---

\* Per musculum hic intelligo quamlibet fibram motricem.

res & promptiores; & forte fit harum opera, si quid muscularum voluntariorum simul commovetur.

§. 183.

Fibræ voluntarie moventes, ortæ in Cerebro, collectæ in medulla oblongata, descendunt maximam partem in thecam vertebralem, ut inde fiant nervi distribuendi per omne Systema Musculosum.

§. 184.

Fibræ involuntarie moventes in Cerebello exortæ præprimis constituunt nervos intercostales & vagos, ad omnia Pectoris & abdominis viscera pertinentes, & porrectos per omne Systema vasculosum.

§. 185.

Fibræ sentientes Cerebri maxime efficiunt nervos ad organa sensoria abeuntes.

§. 186.

Hæ tamen omnes fibræ (§. 184. 185. 186.) antequam fiant nervi, in medulla oblongata ita miscentur, ut nullus inveniatur nervus, ad cuius compositionem non concurrant fibræ triplicis generis, diversa proportione combinatoræ, in peculiares & determinatos usus.

§. 187.

Ita vero, ut in quolibet nervo prævaleat numerus & activitas fibrarum certi cujusdam generis; reliquæ vero pauciores agant obscurius.

§. 188.

Exceptis tamen nervis, qui respirationi præfunt,

sunt, ubi circa singula vertebrarum internodia (salvo primo & ultimo pari) fibrillis nervi intercostalis ex cerebello descendantis admiscetur æqualis fere copia fibrarum ex medulla spinali prodeuntium, & sic obtinetur actio mixta, voluntarie & involuntarie æque perficienda.

### §. 189.

Hujusmodi novæ coniunctiones nervorum jam formatorum, quæ in toto corpore sunt frequentissimæ, præsertim circa viscera, novos producere possunt & speciales consensus partium sœpe multum à se invicem dissimilares.

### §. 190.

Qui itaque triplicem illam fibrarum nervearum sobolem habet perspectam, & simul attendit ad earum miscelam, distributionem & occursus varios, ille solvere poterit multa problema Physiologica & Pathologica, alias difficultima.

### §. 191.

Hoc interim evincitur, posse ab actione objecti externi in Organon quoddam sensorium commoveri nervos spontaneos, huic vel illi vasorum vel viscerum plagæ insertos.

### §. 192.

Hinc ab eadem causa, vasa vel viscera, vel tota, vel horum partes modo constringi, modo relaxari, modo in statu præternaturali contineri, modo reciproce agitari; hinc progressum liquidorum modo coerceri, modo promovere,

veri, modo ad hanc vel illam partem determinari; secretiones & excretiones turbari, tolli, augeri posse; pro varietate objecti, organi, nervi & loci, cui hic inseritur.

§. 193.

Experientia docet, ideas, per organa sensorio communi oblatas, concitare posse quælibet Pathemata animi.

§. 194.

Quorum tamen nullum, si recte attendimus, observatur, sine notabili corporis commotione; & ausim affirmare, omne illud, quod de formatione pathematum animi cogitatione comprehendere valemus, consistere in mutato tono fibrarum motricium spontanearum circa viscera, vasa, cutim &c.

§. 195.

Namque pathematum cum mutationibus corporeis tanta est necessitudo, ut nec in somniis vehementior animo obversari possit commotio, quin in corpore vere contingent omnes isti effectus, quos eadem passio habuisset comites, si ab aliis causis producta fuisset in vigilantibus; nec ullum affectum animi fingendo voce vel gestibus compositis imitari liceat, cui non eadem omnino in systemate fibrarum motricium mutationes se jungant, quas effecisset feria ejusdem commotio. Quæ, quam vim habeant, optime videmus in histriónibus, quorum summa laus in eo versatur, ut perturbationes animi, quas simulant, quam fieri potest

proxime ad veritatem accedant. Unde s<sup>æ</sup>pe accidit, ut in eosdem inciderint morbos, qui ab illis pathematisbus oriri solent, vel etiam in vita<sup>tæ</sup> discrimen adducti sint. Ita enim præstans-  
tissimus ille actor scenicus, Mondori, dum ni-  
mis exacte vellet repræsentare graviores animi  
passiones, quas Tristanus in Tragædia sua, quæ  
*Mariamne* inscribitur, graphice depinxerat,  
mortem sibi conscivit (x). Quare in faceto  
quodam colloquio Histrio quidam introduci-  
tur Tristanum ita compellans: *Vous voudriez,*  
*je pense, qu'on ne jouât jamais que Mariamne,* &  
*qu'il mourût toutes les semaines un Mondory à vo-*  
*tre service* (y).

### §. 196.

Nullum nobis concipere possumus Terro-  
rem sine cutis universæ & extremorum vascu-  
lorum constrictione spastica, ex qua sola deri-  
vari possunt omnes ejus effectus, extremorum  
pallor, collapsus, frigus, tremor, excretionum  
suppressio cum inde pendentibus morbis, san-  
guinis repressio ad vasa majora & cor, hujus  
palpitatio & anxietas circa præcordia, respira-  
tio suffocativa, internæ stagnationes, inflam-  
mationes, atoniæ, rupturæ & interdum mors  
subita.

### §. 197.

Ex eadem intelliguntur ejusdem effectus sa-  
lu-

(x) BATLE Dic. art. *Tristan, l' Hermite* (Francois) Rem.  
(A).

(y) Parnasse reformé pag. 106.

Iutares in excretionibus nimiis, obstructionibus & doloribus à materia hærente in vasculis extremis &c.

## §. 198.

In Ira est spasmus Hepatis & partium vicinorum, quo, quiquid bilis elaboratæ in ductibus Hepaticis hæret, quiquid crassioris & acrioris commoratur in vesicula fellea, copiose exprimitur, & transmittitur ad intestinum duodeenum, hic corrodit, inflammat, rejicitur per vomitum, alvum: in substantia Hepatis præpeditus sanguinis transitus facit obstructiones, inflammations & Icterum: appendices Diaphragmatis premunt truncum descendenter aortæ, hinc augetur impetus & copia sanguinis in trunco ascidente, sanguis valide conquassatur, facies tumet, rubet, incalescit, augetur secretio & impetus liquidi nervi, hinc robur musculorum &c.

## §. 199.

Poterit tamen & ita esse loco medicinæ Phlegmaticis & frigidis, ubi diligentia adhibenda est, ut excandescientia inducatur, & caloris reparandi, & sanguinis in habitum corporis invitandi causa (z). Siquidem hanc animi commotionem sanasse Paralyсин, Singultum, Podagram, Quartanam, alvi obstructionem, aphoniaim, obstructionem mensium, referunt fide digni Authores (a).

D 5

§. 200.

(z) HIPPOCRAT. Lib. II. Epid. Sect. IV.

(a) VALERIOL. Lib. II. Obs. IV. BECKER de Cultris.

## §. 200.

In mœrore & Tristitia præprimis affici vi-  
dentur fibræ membranaceæ tenuissimæ inter  
Diaphragma, Ventriculum, Hepar & Lienem  
sitæ, quarum magna vis esse potest in com-  
primendis nervis, & mutandis diametris vasof-  
rum, hinc depravandis secretionibus; licet ea-  
rum structuram & usum nondum sufficienter  
habeamus exploratum, multæ tamen rationes  
faciunt, ut credam, eas ad pleraque pathemata  
animi formanda concurrere. Manifestior ef-  
fectus deprehenditur in ventriculo, de cuius  
languore primo conqueruntur mœrentes,  
mox de inappetentia, oris amaricie, & siti cir-  
ca horas matutinas, cruditatibus acidis & ni-  
dorosis, flatibus & tensionibus hypochondrio-  
rum, apepsia. His succedunt humorum cru-  
ditas & impuritas, sæpe diarrhœæ insanabiles  
& febres malignæ, ut in obsidionibus, Peste,  
terræ motu &c. (b).

## §. 201.

In gaudio universum Systema fibrarum re-  
laxari videtur, recurrente per vices stimulo, sic  
tamen aucta vi fluidorum in solida remissa ac  
minus resistentia, ita, ut in toto corpore fibræ  
motrices æquali tono sanguinem per vasa li-  
bera promoveant efficacius, magno sanitatis  
emolumento. Qui vero idem affectus, si mo-  
dum

*ro Boruffico Quæst. IX. CRATO, Lib. Conf. Lib. VI.*

*HORSTIUS Lib. III. Conf. Epist. XII. PECHLIN. Lib.  
III. obs. 28.*

(b) **BAGLIV.** *Prax. Med. Lib. I. Cap. XIV. toto.*

dum excedit, ob nimis acceleratum humorum cursum, noxius evadere potest. Quale quid accidisse Dionysio, Tyranno Heracleæ, relatim legimus apud PHOTIVM (c). Ille enim, accepto nuntio de morte Alexandri, ad primum famæ adventum talia passus est à magna hilaritate, quæ magna tristitia facere solet. Nam prope erat, ut vertigine correptus prolaberetur, & à sana mente conspiceretur alienus. Et post obitum magni nostri Leibnizii, cum ejus sororius hereditatem luculentam obiret, & hujus uxor tantarum pecuniarum se fieri dominam cerneret, ea lætitia statim perfusa est, ut subita morte extingueretur (d).

### §. 202.

Hæc omnia eadem, sed remissius aguntur in spe & desiderio, quæ corpori saluberrima deprehensa sunt (e).

### §. 203.

Cogitationes lascivæ determinant sanguinem versus vasa spermatica, augent affluxum liquidi nervi, stimulum solidorum, secretionem & copiam semenis.

### §. 204.

Hæc omnes mutationes corporeæ cum passionibus animi tam arcto continentur vinculo, ut inversa ratione, ex enarratis affectionibus

(c) *Biblioth. pag. 709. n. 224.*

(d) *Mons. de FONTENELLE Eloge de M. LEIBNIZ pag. 332.*

(e) *Cel. BOERHAAVE Instit. Med. §. 1048.*

bus partium in corpore ab aliis causis inductis, constanti lege oriantur dicta pathemata.

§. 205.

Si per medicamenta determinatur sanguis ad vasa spermatica, & augetur seminis quantitas in vesiculis seminalibus, ideæ libidinosæ animo obversantur.

§. 206.

Corpus perfecte sanum disponit animum ad lætitiam.

§. 207.

Qui laborant ventriculi debilitate, diarrhœis, tensionibus hypochondriorum & obstructione Hepatis & Lienis, ad mœstitiam, levissima, & sæpe nulla data occasione, sunt proclives, ut observatur in hypochondriacis & melanocholicis.

§. 208.

Cholerici, qui bile abundant, vel ex quacunque causa stricturas circa Hepar experiuntur, sunt iracundi; ut Icterici.

§. 209.

Quibus a sanguine crasso vasa magna distenduntur, minima vero in superficie inania eoalescunt, cutis est strictior, illi sunt meticulosi.

§. 210.

Quælibet harum, vel similiūm dispositionum corporearum sūm pathema in sensorio communi exhibere potest, absque ulla causa externa; & hoc frequentissime præstare solet in somno. (§. 161.)

§. 211.

## §. 211.

Hic non sine omni ratione paulisper regredior ad somnia, quoniam evidenter confirmant multa eorum, quæ supra à me proposita sunt de Natura, indole & ortu idearum in medulla Cerebri. In somno enim eadem mutationes in iisdem fibrillis medullaribus à causis internis renovatæ sicut sunt eadem objecta externa, tanquam præsentia, quarum actione istæ mutationes ope Organorum primitus erant impressæ; & exinde fiunt in corpore eadem, quæ vera objectorum activitas potuisset producere; eadem remoræ, iidem motus musculares, iidem stimuli, iidem tumultus in Oeconomia vitali: immo eadem pathemata animi cum toto suo apparatu & effectibus corporeis inseparabilibus (a §. 195. usque ad §. 203.).

## §. 212.

Et quidem pro diversitate structuræ corporæ, temperamenti & morbi, prout hoc, vel illud viscus afficitur, excitantur etiam variæ in somno ideæ & passiones animi, adeo respondentes isti corporis diathesi, ut ex hac cognita divinare liceat, quænam somniorum genera in unoquoque frequentius occurrere debeant, & quibus pathematibus sub somno vexari solet: ac vicissim ex enarratione somniorum satis accurate cognoscitur status corporis sive sani, sive morbos. „Quæ, quisquis recte di- „judicat, is non minimam sapientiæ partem „assequitur (f).

## §. 213.

(f) HIPPOCRAT. *Lib. de Insomniis.*

## §. 213.

Quod si itaque hæc theoria diligentius, quam fieri suevit, excoletur, & solertia Anatomica ac observationibus Physiologicis detegeretur, quænam præcise partes in corpore commoveantur pathematibus, & prudenter notarentur passiones animi in singulis morbis, quorum sedes nobis nota est, præ reliquis obviæ, bono & utili augmento doctrina sémiotica locupletari posset, dum ex dominantि affectu, & somniorum natura divinare possemus, quænam corporis partes præ reliquis laborent. Sed me dementem, qui hos phantasiæ lusus medicinæ immiscere studeo! Jam videre videor, ut omnes has speculationes physicas, licet non intelligent, ludibrio tamen habent, Magni illi & famosi Empirici, qui soli seria & utilia tractant, & severe prohibent, ne quæ veritas physica transferatur ad Praxin medicam.

## §. 214.

Nihilominus tamen apud optimos veteris medicinæ instauratores hujus doctrinæ ea inveniuntur vestigia, ex quibus colligere possumus, in diagnosis & prognosi morborum non prorsus neglecta fuisse somnia. Hippocrates suum Librum, quem de Insomniis inscripsit, ita orditur: *Qui de his, quæ per somnos continentur, recte conjectaverit, is ea per omnia magnam habere vim comperiet.* Summa hujus tractationis eoredit, ut doceat, ea insomnia, quæ de diurnis actionibus mens humana in somnis offerit,

fert, & eodem modo reddit, quo per diem in re justa, gesta, aut consulta sunt, neque à causis corporeis internis valde turbantur, bonam valetudinem portendere; eadem vero diurnis negotiis multum adversa, terriculosa, anxia, res nigras, impuras, funera fingentia, indicare corporis perturbationem & morbos. Partes etiam, quibus hæc vel illa somnia præ reliquis prospiciendum esse annunciant, hinc inde designat, & quibus utendum remediis. Ubi tamen multum concedit vulgi opinionibus & superstitioni: licet hoc in speciem facere videatur magis, quam ex animi sententia.

## §. 215.

Non igitur vanus omnino esset labor, si illi, qui Historias morborum conscribunt, diligenter annotarent animi pathemata, singulis morbis propria, &, ut ita loquar, essentialia. Possent enim multum adjuvare medicum, qui partes primario affectas conjectura assequi nititur. In qua re suam meretur laudem ARETÆVS CAPPADOX, apud quem multa & egregia hic spectantia inveniuntur. Speciminis loco apponam ea, quæ habet de Hydropoe:  
„In hydropicis circa minima quæque sollici-  
„tudo, vivendi cupiditas, tolerantia, non ex  
„animi alacritate ac bona spe, ut in iis est, qui  
„prospera fortuna fruuntur, sed ex ipsa mor-  
„bi natura: neque causa dici potest, sed mirari  
„tantum id licet; quod mehercule magnum  
„est. Nam in aliis non perniciosis affectibus  
„ægrotantes abjecto sunt animo, tristes, mor-  
„tis

„tis amatores; in his vero & bene sperant, &  
„vitæ cupidi sunt (g).

§. 216.

Præter hæc, omnis generis deliria, Phrenitis, Paraphrenitis, Mania, Melancholia, Hydrophobia &c. testantur de vi corporis morboſi in excitandis ideis, actioni objectorum externorum minime respondentibus; imo, pro varietate partium affectarum, oriuntur diversa deliriorum genera.

§. 217.

Attentam quoque meretur considerationem, quod illi, qui à gravi febre multum debilitati lecto adhuc affiguntur, ad quævis animi pathemata sint admodum proni; quæ tamen animi mollities sensim recedit eo successu, quo vires reparantur.

§. 218.

Vir constans & immotus animo, qui que mediis tranquillus in undis sublime illud & heroicum: NEC SPE, NEC METU! perpetuo repetit, raro incidit in morbos, &, si incidit, eadem felicitate, qua circumfusos humanarum rerum tumultus superat, superabit & illos, atque sane sine ulla Medici, aut Medicamentorum ope (h).

§. 219.

Contra timidi, molles, delicatuli, iracundi, impatientes, qui que de tuenda valetudine nimis

---

(g) ARETÆVS CAPPADOCX Lib. II. Chronic.

(h) BAGLIV. Prax. Med. Lib. I. pag. 153.

m̄is sunt solicii, non solum frequentius cæteris in morbos incidunt, sed iisdem gravius, quam reliqui, ægrotant (i).

### §. 220.

Ex his omnibus probe perpensis & inter se collatis manifeste satis patere arbitror, quænam sit ratio Soni agentis in Organon auditiorum, & quomodo in Cerebro varias ideas, & passiones animi, & in corpore mutationes insignes excitare queat. Reliquum est itaque, ut eadem exemplis illustremus, & principia superius posita applicando ad mira circa effectus Musices phænomena, hæcque per illa explicando, ad finem nobis propositum accedamus proprius.

### §. 221.

Antequam vero id fiat, consultum duco, paucis occurrere reprehensioni eorum, qui, dum hæc legent, omnia ad structuram corporis mechanicam referri, nihil animæ tribui, & hanc hypothesisin recta via ad *materiālismum* tendere clamabunt, neque quicquam esse diversam „ ab impia illa *DICÆARCHI* opinione, qui in „ eo sermone, quem Corinthi habitum expo- „ nit, inducit *PHERECRATEM* quendam, disse- „ rentem: Nihil esse omnino animum, & hoc „ esse nomen totum inane, frustraque anima- „ lia & animantes appellari: neque in homine „ inesse animum, vel animam, nec in bestiæ „ vimque omnem eam, qua vel agamus quid,

E

vel

(i) *id. ib.*

„vel sentiamus, in omnibus corporibus vivis  
 „æqualiter esse fusam, nec separabilem à cor-  
 „pore esse, quippe quæ nulla sit: nec sit quic-  
 „quam nisi corpus unum & simplex, ita figu-  
 „ratur, ut temperatione naturæ vigeat &  
 „sentiat (k). Nec ARISTOXENI Musici, qui  
 „intentionem ipsius corporis quandam, velut  
 „in cantu & fidibus, quæ harmonia dicitur, sic  
 „ex corporis totius natura & figura varios mo-  
 „tus cieri, tanquam in cantu sonos, puta-  
 „bat (l).

## §. 222.

His itaque repono, trium istorum Systema-  
 tum, quibus Commercium, quod inter Ani-  
 mam & corpus intercedit, explicari solet, Con-  
 ditores & Sectatores, quorum alii ad *Influxum*  
*Physicum*, alii ad *Causas occasioales*, & alii ad *Har-*  
*moniam præstabilitam* confugiunt, omnes tamen  
 in eo co[n]venire, nullas dari actiones Animæ,  
 quin iis respondeant eodem momento corpo-  
 rex quædam mutationes. Has igitur hoc lo-  
 co solas persequutus, illas libenter concedo sub-  
 tilibus metaphysicorum ingeniis: cæterum de  
 substantia quadam nobiliori, immateriali & i[n]  
 mortalí homini juncta luculenter persuasus te-  
 stimonio Sacrarum litterarum.

## §. 223.

Si pathemati cuidam multum indulgemus,  
 vel causa illud producens diutius persistit, aut  
 repe-

(k) CICERO *Tuscul. Quest. Lib. I.* pag. 169.

(l) *id. ib.*

repetitur frequentius, præsertim à prima usque infantia, tunc partes corporis, quæ in illo afficiuntur, ita mutantur, ut fiant proclives ad idem pathema exhibendum, causis externis vel levissimis, vel penitus remotis. Ex quo etiam reddi poterit ratio optimi istius moniti, quo „LVDOVICVS MERCATVS suadet, a primis „mensibus infantum ploratum pacare & sedare animi impetus. Nam præter id, *inquit*, „quod ad mores deinceps componendos ma- „xime est necessarium, plurimas inhibemus „puerorum affectiones, quæ ex ploratu & ira „ipsis succrescunt. *E paulo post*: Sed curandum est, ut primo à natali die semper studio „ac diligentia puer custodiatur à causis, quæ „concitare in iram ac ploratum solent, ut protinus dimoveatur causa, quo breviter animi „tranquillitas aquiratur (m).

### §. 224.

Quoniam mores sequuntur propensionem, qua quisque est ad hæc vel illa pathemata, & per experientiam constat, certas sonorum harmonias certa excitare & fovere posse pathemata, hinc sequitur, mores juniorum formari, connatos mutari, depravatos corrigi ope harmoniæ Musicæ posse.

### §. 225.

Hæc animos juvenum erudiendi, & ad mansuetudinem componendi ratio, uti hodie à plerisque, quia ignoratur, contemnitur, ita

E 2

apud

(m) *Oper. i Tom. V. pag. 206.*

apud veteres in magno pretio habita est. Antiquissimum hujus rei exemplum præbet Achilles, Pelei & Thetidis Nymphæ filius, qui, ut esset corpore robusto & in pugna strenuus, maxime tamen celebratur ab Homero ob iram, quam contra Agamemnonem conceperat implacabilem: *Gravem Peleidæ stomachum cedere nescii* (n); Id quod primus statim Iliadis versus indicat

*Mῆνις ἀειδεῖ θεῶς πηλοπίαδεων Αχιλῆος.*

*Iram cane Dea Peleidæ Achillis.*

Nempe Homerus introducit Achillem, tanquam hominem fortissimum, & tantæ animi constantiæ, ut, cum in obsidione Trojæ ab Agamemnone injuria affectus esset, discederet ab exercitu, & nullis precibus, nullis solicitationibus ad prælium redintegrandum, ferendumque Græcis auxilium commoveri potuerit; donec tandem mortem amicissimi sui Patrocli inultam pati non posset.

### §. 226.

Hujus, dum puer adhuc esset, ferocem animum demulcendum, & humanitatis præceptis imbuedendum Centauro Chironi, Medico & Musico egregio, tradidit provida Mater; qui etiam, cum animadverteret, discipulum suum iræ furores ægre compescere posse, Musicam remedii loco adhibuit (o), & ita

pue-

(n) HORATIUS *Od. VI. Lib. I.*

(o) PHILOSTRAT. *in Heroit. pag. 705. C.*

- - - - puerum citbara perfecit Achillem  
*Atque animos molli contudit arte feros* (p).

## §. 227.

Qui sunt temperamenti cholericí, habent fibras tensas, rigidas, actioni fluidorum nimis resistentes, animus est immotus, audax, promptus ad quævis subeunda pericula, delectantur magno strepitu tympanorum & tubarum bellicarum; Hos itaque corrigit symphonia mollior, & quæ leni quodam susurru tumultus animi placat, atque ad modicam disponit hilaritatem, in qua relaxatio quædam fibrarum & remissio est. (§. 201.) Quare prudenter hoc artificio usus est Herois nostri Præceptor

*Quique tubas acres lituosque audire volentem,  
Æciden alio frangebat carmine Chiron* (q).

## §. 228.

Cumque hujus remedii salutarem effectum jam sèpius expertus esset Achilles, & probe cognosceret, quam necessarium sibi esset auxilium, quo irarum fluctus comprimeret, adeo Musicam amare cœpit, ut ex spoliis hosti erexit primam arriperet Citharam (r): & quoties se graviori ira permotum sentiret, statim sonorum suavitate fervorem demulcere studeret:

*Atque Pelethoniam cecinit miserabile carmen  
Ad Citharam, Cithara tensior ipse sua* (s).

## E 3

## §. 229.

(p) OVIDIVS *de Art. Amand.* Lib. I. in princ.

(q) STATIVS *Lib. V. Silv. III. b. 191.*

(r) ELIANVS *Var. Hist. Lib. XIV. Cap. 23.*

(s) *In Priapeior. LXIX.*

## §. 229.

Maxime vero hoc levamine opus habebat Achilles, cum aculeis contumeliarum exagitaretur ab Agamemnone; qui, postquam Chryseidem captivam patri, Sacerdoti Apollinis, coactus reddidisset, ne solus inter Duces munere careret, mittebat, qui ex tentorio Achillis sibi adducerent Briseidem, quæ in expugnatione urbis Lyrnessæ, occiso conjuge Myne, præmii loco ab Achivis data fuerat Achilli, & à domino suo perdite amabatur, ut ipse narrat:

- - - - - *ας τὴν ἔγα τῷ*

*Ἐκ θυμῷ φίλον (t).* - - -

- - - - - *ut Ἡ ego bane*

*Ex animo amabam.* - - -

Hac enim orbatus tanta ira exarsit contra omnes Achivos, ut excederet è castris, & jureret, se non reversurum, neque si totum exercitum ad incitas redactum videret. Cum vero post hujus discessum nemo reperiretur, qui Hectori resistere posset, & à Trojanis graviter urgerentur Græci, missi sunt Legati, qui, præter alia multa, & Briseidem, & sex alias lectissimæ formæ pellices nomine Agamemnonis promitterent, si ab ira desistere, & ab exercitu exitium avertere vellet.

*Τὸν δὲ θυμὸν Φρέια τερπόμενον φόρμην λιγένη*

*Καλῆ, δαιδαλέη, ἐπὶ δὲ αἴγυνες ζυγὸς ἥσι*

*Τὴν ἀρέτην εἰς ἑταῖρον πλόλιν Ἕετίων οὐλέσσεις*

*Τῇ δὲ θυμὸν εὐαρπτε, μέσῳ δὲ αἴρα κλίνε ἀνδρῶν.*

*Hanc*

(t) HOMERVS *Iliad. Lib. IX. 6. 342.*

*Hunc autem invenerunt mentem oblectantem  
cithara stridula,  
Pulchra, affabre facta, jugum autem erat argen-  
teum;  
Quam habebat ex spoliis urbis Eetionæ direptæ,  
Hac animum mulcebat, canebat vero gloriam  
virorum (u).*

## §. 230.

Ita enim Musica utebantur veteres, tanquam medicina mentis, ad cuius culturam, quantum conferat, majori sane studio ab illis quæsitum, & clarius perspectum fuisse videtur, quam hodie à summis hujus Artis cultoribus fieri novimus. Siquidem Plato, Musicam, ajebat, elegantiæ & concinnitatis opificem à Deo hominibus non deliciarum causa, aut pruritus aurium datam, sed concessam, ut animi periodos & harmonias turbulentas & erraticas in corpore sæpenumero per insolentiam & improbitatem lascivientes, iterum revolvat decenter & reducat (w). Et dicit DIO. CHRYSOSTOMVS, Musicam inventam esse, asserit, propter medicinam humanorum affectuum, & potissimum, ut mentes, sævitia & feritate affectas, in rectum reducere possit statum: Σε-  
ραπείας ἔτεναι τῶν αὐθεόπων, οὐκάν μάλιστα δὴ μεταστρέφειν ψυ-  
χὰς ἀπηνῶς καὶ ἀγρίως διακεκρέας (x).

## E 4

## §. 231.

(u) *id. Iliad. IX. 6. 186.*(w) *id. PRÆTOR. Syntagm. Mus. Part. alteram p. 200.*(x) *Orae. 32. ad Alexandrinos.*

## §. 231.

Sed illa imprimis egregia fuit scientia, qua certa symphoniae genera singulis animis, aut mutandis, aut confirmandis destinabant, ut sic & litterarum studio fierent aptiores, & virtutum amantes, & legibus societatis obedientes. Quod, ut rite fieret, quantum interfuerit Græcorum, perspicere possumus ex magno illo & sumptuoso apparatu Iudorum publicorum, ubi illos, qui dexteritate Musica reliquis præstabant, propositis ornabant præmiis, hoc quasi incitamento usi, quo laudis cupidos ad ejusdem artis non modo addiscendæ, sed etiam ulterius excolendæ studia cominoverent.

## §. 232.

Et erat quidem hæc Musica pro diversitate Regionum varia. Quemadmodum nostris quoque temporibus observamus, cuilibet genti peculiarem suam esse ad certas concentuum compositiones propensionem, ex quibus, si modo penitus rem consideramus, mores & ingeniorum culturam fere colligere possumus. Quis enim nostrum Turcarum, aut alias gentis barbaræ lamentabiles dissonantias, quibus tamen illi mire delectantur, æquo animo ferre posset? Nonne aliæ leges Musicæ placent in Gallia, aliæ in Italia, aliæ in Anglia, aliæ vero in Germania? Sane, qui rei Musicæ satis peritus est, quamcunque demum symphoniam audiverit, ad hujus vel illius populi genium eam esse concinnatam sine hæsitatione pronunciat.

bit. Ut adeo pateat, utrumque fieri posse & solere, mores formari à Musica, & hanc ab illis.

### §. 233.

Quare pro varietate ingeniorum in diversis Græciæ provinciis, varia existebat Musicæ facies, moribus nativis singulorum populorum fere respondens. Unde originem duxerunt *Modi Musici*, quorum quilibet à solo natali retinuit denominationem, & quatuor præcipui erant numero, quibus tamen modo addebantur novi, modo inter se miscebantur ita, ut ad viginti quatuor numerus eorum excresceret. Inter quos, ut attingam principes, *Dorius* gravibus religiosisque rebus decantandis accommodatus erat, *Phrygius* compellebat ad furorem, *Lydius* Elegiis aptus, & *Æolius* amœnior amoris & lœtitiae affectum commovebat.

### §. 234.

Nostri Musici fatentur, se ignorare, in quo præcise posita fuerit horum modorum ratio (y), & exempla, quæ de eorum admirandis effectibus testantur, à plerisque habentur profabulosis. At demus multa esse conficta, de omnibus tamen dubitare vetat ea testimoniorum copia, qua gravissimorum Authorum monumenta nos quasi obruunt, & quibus fidem denegare haud licet, nisi omnem fidem historicam tollere velimus; neque audiendi sunt illi, qui negant, quicquam antiquis istis tempo-

E 5

ri-

(y) Vid. Cel. VVALTHERI *Musicalisches Lexicon*, p. 400.

ribus rūdem, ut putant, & nascentem Mūsicam præstare potuisse, quod hodie tantis aucta incrementis non multo præclarius efficere valeret.

### §. 235.

Si ponimus, quod & hodie inter peritiores nemo vocat in dubium, certum quendam modum Musicum, id est, certam quandam sonorum seriem determinatum excitare posse effectum animi, facile intelligitur, quod, si hunc effectum cupimus esse notabilem, qui se in moribus & tota reliqua vita exserat, 1) idem modulus diutius continuandus, & frequentius repetendus est, 2) idem modulus purus est conservandus &, quantum fieri potest, simplex, 3) vitanda sunt illa harmoniæ genera, quæ ex singulis modis aliquid retinent, nulli se adstringunt, passiones animi, quas modo excitare cœperunt, mox iterum evertunt, succendentibus aliis contrariis, una præ alia vix percipienda, animos reddunt mutabiles, inconstantes, omnibus pathematibus æque obnoxios, qualis nostra fere solet esse Musica vulgaris, eoque nomine cum veteri minime comparanda.

### §. 236.

Si forte ad eandem rem comprobandum aliquid valent autoritates & monumenta veterum, referam, quod narrat BODINVS (z) de Republica Cynethensium, Arcadiæ populorum,

qui

---

(z) hunc citat PRÆTORIUS *Syntagm. Music. Part. ak.*

„ qui neglectis canendi legibus, urbanitatem, &  
„ humanitatem cum feritate commutarunt, &  
„ gravissimis bellorum fluctibus diu jactati sunt.  
„ Id quidem mirum omnibus visum est, quam-  
„ obrem ex omnibus Arcadibus soli Cynethen-  
„ ses tam feroceſ & barbari eſſent, quoſque  
„ Polybius omnium primus animadvertit, pro-  
„ pter desertum Musicæ ſtudium id illis acci-  
„ diſſe. Quibus hic nimium Musicæ tribui vi-  
debitur, illi æquiorem audiant, & quaſi media  
via incedentem CICERONEM, ſequentem in  
modum loquentem (a): „ Aſſentior PLATO-  
„ ni, nihil tam facile in animos teneros atque  
„ molles influere, quam varios canendi ſonos,  
„ quorum dici vix potest, quanta ſit vis in  
„ utramque partem. Namque & incitat lan-  
„ guentes, & langeſ facit excitatos; & tum  
„ remittit animos, tum contrahit: civitatum-  
„ que hoc multarum in Græcia interfuit, anti-  
„ quum vocum ſervare modum, quarum mo-  
„ res lapsi ad mollitiem, pariter ſunt immuta-  
„ ti cum cantibus: aut hac dulcedine corru-  
„ ptelaque depravati, ut quidam putant: aut,  
„ cum ſeveritas eorum ob alia vitia cecidiffet,  
„ tum fuit in auribus animisque mutatis etiam  
„ huic mutationi locus. Quamobrem ille qui-  
„ dem ſapientiſſimus Græciæ vir, longeque do-  
„ etiſſimus (Diagondas Thebanus) valde hanc  
„ labem veretur. Negat enim mutari poſſe  
„ musicas leges ſine mutatione legum publica-  
rum.

(a) de Legibus lib. II. p. m. 444.

, rum. Ego nec tam valde hoc timendum,  
, nec plane contemnendum puto.

## §. 237.

Tanta itaque remotis istis temporibus circa majorum leges Musicas conservandas fuit sollicitudo, ut Argivos etiam multam definitivisse tradatur iis, qui Musicam veterem violavissent: eamque ab iis exegisse, qui primi fuissent ausi pluribus, quam septem ab ipsis receptis fidibus, & ad mixolydium tonum alludere (b). Legimus etiam exempla eorum, qui hac multa affecti fuerunt, inter quos primus fuisse videtur Phrynis (c), qui fuit discipulus Aristoclidis Citharœdi, & invenit modulos, qui à Comicis δυσκολόκαρποι, i. e. contortuplicati vocabantur, & ipse appellatur ἴσποκάρπης, quod, sicut Jones saltationes masculas in effœminatas flexiones gyrosque fregerunt, ita ipse in severiorem musicam crispas quasdam & lubricas invexisset modulationes (d). Alter erat Timotheus Milesius, qui tempore Alexandri Magni floruit Citharoeda præstantissimus, at, novarum rerum æquo studiosior, eo temeritatis processit, ut septem receptis chordis adderet quatuor novas, & ita efficeret harmoniam gratiorem quidem delicatis auribus, sed quæ ad mollitiem & voluptatem proritaret juvenum

---

(b) *vid. PLVTARCH. Lib. de Musica.*

(c) *Prinz Histor. der Sing- und Kling-Kunst, Cap. V. §. 23.*

(d) *vid. KVHNII annot. in POLLVCIS Onomast. Cap. 9. Lib. IV. segm. 66.*

num animos. Quapropter in judicium adductus perniciosas has quatuor chordas propria manu rescindere, & è ditione Spartanorum excedere jubebatur; Citharæ vero ita dilaceratæ & loco conspicuo suspensæ, in perpetuam rei memoriam, ὡς συγένη δε καὶ ἄλλοι, adscribentur hæc verba: ὅτι καινότητα πολυφωνίας εἰσάγει, quia novitatem polyphoniæ introduxit. Decretum hac occasione promulgatum ab Ephoris Spartanorum legitur apud BOETHIUM (e), JOSEPH. SCALIGERVM (f) & PHILIPP. CAMERAR. (g), cuius versio latina ita se habet:

„Quoniam Timotheus Milesius in nostram  
 „veniens civitatem antiquum cantum negli-  
 „git, & septichordem Citharam aversatus,  
 „multarum vocum consonantiam, h. e. po-  
 „lyphoniam inducens, infecit auditus juve-  
 „num per chordarum multiplicatatem, i. e.  
 „polychordiam, & recentissimum melos in-  
 „duxit, & variam pro simplici & ordinata cir-  
 „cuminduit modulationem, in Chromaticum  
 „constituens Melodiesin, pro enarmonio fa-  
 „ciens antistrophon alternam. - - - -  
 „Edoceri dicimus de his Reges & Ephoros, ac-  
 „cusandum esse Timotheum, reassumendam  
 „vero undecim chordarum lyram, excidentes  
 „superfluas, relicta septichordi Cithara, ut  
 „quivis intuens urbis gravitatem, caveat in  
 Spar-

(e) *Lib. I. de Musica.*(f) *in Not. ad MANILI Sphaeram Barbaricam p. 385.*(g) *Oper. Horat. succiss. Cens. I. c. 18.*

„Spartam inferre quipiam inhonestarum in-  
„decentiumque consuetudinum.

§. 238.

Hoc decretum in memoriam mihi revocat historiam recentiorem, quam PRÆTORIVS (h) refert de Solymanno, Turcarum Imperatore, qui, cum à Rege Francisco I Gallorum peritissimos in omni genere Musicæ (artifices dono accepisset, illis primo valde delectatus fuit. Mox, cum Constantinopoli summo studio populum ad audiendum concurrere, & earum artium disciplinam affectare cerneret, veritus, ne animi effeminentur, instrumentis omnibus confactis, Musicos Gallo remisit,

§. 239.

Tanta vis Musicæ inesse videbatur Solymanno! cuius metus satis testatur de egregia istorum Musicorum peritia, qui, cum circa illud tempus musicam e tenebris eruere contendarent, id agebant, de quo hodie pauci cogitant. Cum enim anno 1570. Authoritate Régia Academia Musica instauraretur, Joann. Antonio Baifio & Joachimo Theobaldo à Courville autoribus, eo potissimum omnium dirigebantur studia, ut musicam veterum Græcorum, ejusque utiles non minus, quam stupendos effectus restituerent: Eamque ob causam moliebantur certamina Musica, quibus, quotquot principes in hac arte haberentur, interessent, ut quisque ex iis judicare posset, an id, quod

(h) de Musica Vocali.

quod quærebant, essent assequuti; quorum tam  
en conatus omnes quorundam invidia sup-  
pressi, optato caruerunt exitu (i).

§. 240.

Neque desunt nostra ætate, qui ultra termi-  
nos vulgaris Musicæ progressi in eo præci-  
puam ponunt operam, ut concentus harmo-  
nicus eum affectum animi, quem vox canen-  
tis exprimit, apte imitetur, vel etiam solus  
producere valeat; & recte plurimum in Arte  
Musica profecisse censetur ille, qui ad id præ-  
standum quam proxime accesserit. Interim  
tamen, dum causam perquiero, quamobrem  
tam pauci in eodem studio promovendo sint  
occupati, veterumque græcorum modi Musici,  
horumque effectus mirabiles recentiorum di-  
lignantiam vix incitare queant, sequentes mihi  
occurrunt rationes: 1) quia rarissime accidit,  
ut nostri Musici cum sua arte penitorem co-  
gnitionem theoriæ sonorum, Organi auditus  
& totius structuræ corporis humani conjun-  
gant: 2) quia paucissima monumenta veterum  
ad nos pervenerunt, ex quibus perspicere li-  
ceat, quomodo illi hanc artem tractaverint.  
3) quia plerique existimant, nostro tempore  
cum alias omnes, tum maxime scientiam Mu-  
sices ad summum perductam esse perfectionis  
culmen, ita, ut nihil addi possit, eaque omnia,

quæ

(i) *Sid. MARIN. MERSENNI Quæst. Et Commentar. in Genesin Art. XV. pag. 1683. Et Histoire de la Musique chap. X. pag. 215.*

quæ de mirabilibus istis sonorum effectibus literis consignata leguntur, ad Græcorum fabulas & inania levissimæ gentis figmenta arbitrantur esse referenda.

### §. 241.

Sed illi, qui omnem veterum Musicam rudem & incomptam, nostraque multo inferiorem fuisse contendunt, faciant, quæso, ut intelligam, quomodo Davides pullis Citharæ chordis furorem Sauli componere potuisset, nisi elegantiori hujus artis doctrina fuisse instructus (k). Quis hodie optimorum Citharœdarum eandem rem in sè suscipere audebit? vel, si auderet, non inter præstantissimos hujus artis magistros haberetur?

### §. 242.

Quin etiam, si omnibus aliis ejusdem rei comprobandæ testimoniis destitueremur, illa sola sufficeret consideratio, qua ex historia literaria intelligimus, omnes artes & scientias perpetuis emersisse, crevisse, floruisse iterumque cecidisse periodis, adeo, ut sit suspicio, temporibus remotissimis; iisque omni historica descriptione superioribus, in diversis terræ tractibus hoc idem accidisse multoties, easdem artes, quas nunc colimus, longe perfectiores aliquando extitisse, alias vero periisse penitus, olim forsitan, ut novæ, reversuras.

### §. 243.

(k) *Varia de hac re ledtu digna collegit CASPAR LOESCHER, Professor Theologie VVittenbergensis, in Dissertatione Historico-Theologica de Saulo per Musicam curato, anno 1688. babita.*

## §. 243.

Quæ res si ita se haberet, redderet perspicuum, quam vana sit jactantia modernorum quorundam, qui id sibi reservatum existimant, ut Ar̄tem Musicam perducerent ad apicem suæ perfectionis, & supremam quasi admoverent manum. Pateret enim, eandem gloriam jam multos multis retro seculis sibi vindicasse. Romani quidem hanc Ar̄tem tanquam sua gravitate indignam spernentes, ejusque delicias mollioribus animis sexus sequioris relinquentes (l), nunquam multum studii in eadem collenda posuisse videntur, uti ipse fatetur CICERO, Honos, scribens (m), alit artes, omnesque incenduntur ad studia, gloria, ja centque ea semper, quæ apud quosque immprobantur. Summam eruditionem Græci sicutam censebant in nervorum, vocumque cantibus. Igitur & Epaminondas, princeps meo judicio Græciæ, fidibus præclare cecinitse dicitur. Themistoclesque aliquot annis, cum in epulis recusasset lyram, habitus est indoctior. Ergo in Græcia Musici floruerunt, discebantque id omnes; nec, qui nesciebat, satis exultus doctrina habebatur. Sed LVCIANVS jam suo tempore de Musica loquebatur, ut omnibus numeris absoluta, quæ cum genere humano fere nata priscis tamen temporibus fuerit incultior. Ita enim

F

loqui-

(l) HOFFMANN. *Lex. in Musica.*(m) *Tuscul. Quest. Libr. I. circa initium.*

Ioquitur (n) : ὡς δὲ αληθέσαται ὁρχήσεως πέρι γενεαλογίατες ἄμα τῇ πρώτῃ γενέσει τῶν ὅλων φάσει οὐκοῦ ὁρχησιν ἀναφύνει - - - Ή κατ' ὀλίγους αὐξανομέτη, ηγῆ τῆς πρὸς τὸ βέλτιον αἱ τροφήκης τυγχάνεται, νῦν ἔστιν ἐς τὸ αἰρότατον ἀποτελέσθαι ηγῆ γεγενῆθαι ποικίλοις τι, ηγῆ παναρμόνιον, ηγῆ πολύμετρον ἀγαθόν. Et paulo post dicit: **Socratem, cum initia artis Musicæ tantum admiratus esset, ut & ipse eam discere non dignatus sit, si eandem vidisset tantis ornamentiis auctam, se ei totum fuisse consecraturum.** Καὶ τοι ἐκεῖνοι ἄρτι ἀρχομένην ἑώρα τὴν τέχνην, ηγῆ χρέπω εἰς τοσῦτον κάλλῳ διηρέωμένην. Εἰ δὲ τὰς νῦν ἐπὶ μέγιστοι προαγαγόντας ἀντὶ τοῦ ἐδεῖτο, εὑρίσκει, πάνταν ἀν ἐκεῖνος γε ἀφέμενοι, μόνω τῷ θεάματι τέττα τὸν νῦν ἄν προστίχει. Non quidem ignoro, hoc loco Lucianum de saltatione potissimum disserere, sed eadem de Musica etiam intelligi posse & debere, cum arcta inter utramque necessitudo, tum maxime ipsius Authoris verba inculcant: Καὶ τοι τὸν μὲν αὐλον, εἰ δοκεῖ, ηγῆ τὴν κιθάραν, παράμενο μέρη γὰρ τῆς τε ὥρχεται ὑπερεσίας ηγῆ ταῦτα (o).

### §. 244.

Spero non ingratum fore quibusdam Lectoribus hic invenire, quid potissimum agat **LUCIANVS** in Libro suo περὶ ὁρχήσεως, & quænam ratio fuerit saltationis apud veteres; Præser-tim cum ea, quæ à me jam dicta, vel modo dicenda sunt, aliquo modo illustrare queant. Primum vero antiquissimam, ait, esse hujus Artis

(n) *Lib. περὶ ὁρχήσεως.*

(o) *Id. ib.*

Artis originem & ipsi mundo coævam. Ac certe ejusdem vestigia deprehendimus tam in Sacris, quam profanis prioris ævi Authoribus. Ut enim omittam, quæ in sacrarum litterarum monumentis passim leguntur, HOMERVS sæpius vocat saltationem donum & scientiam Divinam, qua & ad animi voluptatem, & roborandum corpus, & cultum Deorum frequenter uti solebant, & illæ gentes, quæ in hoc exercitii genere excellebant, politioris humanitatis habebantur participes. Cum enim apud HOMERVM (p) Alcinous Ulyssi hospiti suo monstrare vellet, quantum suus populus reliquos superaret artibus, saltatores & Citharae accersebat.

Αλλ' οὐγε φαιήκων βητάρμονες ὅσσοι ἄειγος  
Πάσσετε ἀσχ' ὁ ξεῖνῳ ἐνίσπη ὅστι φίλοισιν  
Οἰκαδὲ νοσήσας, ὅσσοι πείγενόμενοι ἄλλων

— — — — — αὐτῷ δὲ καρποῖ  
Πρεπῆβαν ίσαντο, δακτυοῖς ὄρχηθμοῖο,  
Πέπληγον δὲ χορῷ θεῶν ποσὶν, αὐτὰρ Οδυσσεὺς  
Μαρμαρυγαῖς θησέτο ποδῶν, δαύμαζε δὲ θύμα.

Sed agite, Phæcorum saltatores quicunque optime  
mi estis

Saltate, ut εἴ hos pes narret suis amicis  
Domum reversus, quantum præstemus aliis;

— — — — — circumstabant autem  
Juvenes, saltationis periti

*Percutiebant vero divam terram pedibus. At  
Ulysses*

*Micationes pedum mirabatur & stupebat animo.*

§. 245.

Multa deinde differit LVCIANVS de Musicæ & saltationis utilitate ad informandos animos, quorum quædam notatu digna hic inscrere non pigebit: Η ὄρχησις ἡ τερπνὴ μόνον, ἀλλὰ καὶ ὁ φέλιπός ἐστι τοῖς θεωμένοις, καὶ ὅσα παιδεύει καὶ ὅσα διδάσκει καὶ ὡς ψυθμίζει τῷ ὀργάνῳ τὰς ψυχὰς, καλλίσοις θεάματι εὐγενικάζεσσα καὶ αείσοις ἀκέσματι εὐδιατείβυσσα, καὶ πονόν τε ψυχῆς καὶ σώματος καὶ λαθοῦ επιδεικνυμένοι. Saltatio non tantum jucunda, sed etiam utilis est spectantibus, quæ εἰ instituit, εἰ erudit, εἰ concinnat spectantium animos, pulcherrimis spectaculis exercendo, εἰ optimis sonorum harmoniis imbuendo, communem quandam animæ & corporis elegantiam exponens (q). Neque prætermittere possum, quæ ibidem (r) leguntur de mira vi saltationis, qua & pravos animi affectus corrigi, & alios quosvis excitari posse in Spectatoribus afferit: ex quo cognosci poterit, quantum profecerint veteres in hac arte. Οὕτω δὲ θέλγεις ὄρχησις, ὥσε ἀν ἐρῶντις, εἰς τὸ θέατρον παρέλθοι, εἰσωφρυνίσθη ἵδιν ὅσα ἔρωτος κακῶς τέλη; καὶ λύπη ἐχόμενος, εἰςέρχεται τῷ θέατρῳ φαιδρύτερος, ὥσπερ τι φάρμακον ληθεδανόν, καὶ κατὰ τὸν ποιητὴν, οὐπενθέσ τε, καὶ ἄχολον πιάνει. Σημεῖον δε - - - τῷ γνωρίζειν ἔκαστον τῷ ὀρώντειν τὰ δειπνύμενα, τὸ διερύειν πολλάκις τὰς θεατὰς, ἐπόταν τι οἰκτρῷ καὶ ἐλεεινὸν φαίνεται. Ita autem de-

mulces

(q) LVCIAN. τῶν ὄρχησεως pag. m. 759.

(r) pag. 790.

mulcet saltatio, ut si quis amore incensus procedit in theatrum, resipiscat, videns, quam malus amoris sit exitus; Et mærorc affectus, ex Theatro egreditur lætior, ac si medicamentum oblivionem inducens, Et secundum Poetam (HOMERVM Odyss. Δ. v. 220.) ægritudinem pellens assumisset. Testimonia vero est, quemlibet spectantium comprehendere ea, quæ gestibus indicantur, quod saepe spectantes lacrymas fundant, si quid calamitosi Et miserabilis apparet. Præterea varia, quæ ad historiam Musicæ & saltationis pertinent, eleganter enarrat, & eximios earundem usus sacros, politicos & militares recenset, quamque habeant cum reliquis scientiis affinitatem exponit. Qualiter denique Pantomimus comparatus esse debeat animo & corpore, quæque ipsum scire ex Historia præsertim, oporteat, studiose persequitur, & subjungit historias aliquot de Pantomimis stupendæ dexteritatis, quarum unam saltem apponere libet, & quidem latine tantum redditam, quo nimiam evitemus prolixitatem: præprimis cum ea fere redierint tempora, ubi græca non leguntur. Demetrium nimirum Cynicum, qui omnia in spectaculis ad fistulas, strepitus, cantum, vestes & idoneas personas referebat, nihilque tribuebat Arti Saltatoriæ, unus saltatorum, Neroni tum maxime probatus, quem ferunt neutiquam imperitum, sed, si quis alias, in historiarum memoria & motuum concinnitate eximum fuisse gesticulatorem, æqua conditione rogabat: Videret se saltantem, Et tunc reprehende-

*ret.* Pollicebatur vero se sine tibiis & cantu gesticulaturum. Id quod etiam præstabat. Cum enim tibiis & strepitui & ipsi choro silentium imposuisset, ipse solus saltabat Veneris & Martis adulterium, Solem prodentem, Vulcanum insidias molientem, Martem & Venerem ambos vinculis implicatos, & adstantes Deos singulos; & Venerem quidem pudibundam, Martem vero metu perculsum & supplinem, & quæ alia in hac historia habentur, ita, ut Demetrius his convictus hunc Saltatorem summis laudibus efferret. Magna enim voce exclamabat: *Audio, o homo, quæ agis, non solum video, sed mihi videris ipsis manibus loqui.* Quare de iisdem sic NONNVS Dionys. Lib. VII.

*Νεύματα μῦθοι ἔχων, παλάμη τόμα, δάκτυλα φωνήν.*

*Nutus sermonem habent, manus os, digitus vocem.*

### §. 246.

Hanc Artem, totum quoddam drama sola saltatione & gestibus pedum ac manuum populo ita repræsentandi, ut æque intelligerent, quid sibi vellet Pantomimus, ac si conceptis verbis narrasset historiam, tempore Augusti vel invenerunt (s), vel novis augmentis condecorarunt (t), & magno populi applausu Romæ exercuerunt Bathyllus & Pylades, quorum alter in comœdia, alter in Tragœdia multum à se aberant (u). Inter quos orta contentio, populi que

(s) Secundum SVIDAM in Ὀρχηστις & ZOSIM. Lib. I.

(t) Secundum SALMASIVM in Carinum Vopisci pag. 829.

(u) SENECA Pater Epit. Lib. III. Praefas.

pulique studium eo processit, ut concitaret seditionem, & Pylades Romanorum urbe atque agro exterminaretur, Bathyllo Mecœnatis, cuius erat libertus, benevolentia suffulto. Ille deinde ab exilio revocatus, cum ab Augusto propter perpetuas cum Bathyllo rixas objurgaretur, respondit: *Expedit tibi, Cæsar, populum nobis intentum tempus consumere.* Ex quo intelligitur, id boni hæc spectacula præstitisse, ut à percipiendo gravi jugo, quod cervicibus incumbebat, civium animi averterentur, simul vero prisca illa gravitas & fortitudo mutarentur in mollitatem. Quare inter causas turborum, quibus imperium deinceps est agitatum, & illa ponitur (w), quod Augustus Pantomimorum saltationes introduxerit, antea ignotas (x).

### §. 247.

Musicis etiam concentibus eosdem vel integras fabulas expressisse, vel minimum sonorum modulationes ita rei agendæ accommodasse, ut peritiores statim dijudicare potuerint, quodnam drama tibicen ordiatur, colligere possumus ex his verbis CICERONIS: „Quam multa, quæ nos fugiunt, in cantu exaudiunt „in eo genere exercitati, qui primo inflatu tibicinis, Antiopam esse ajunt, aut Andromacham

F 4

cham

(w) ZOSIM. Lib. I.

(x) Qui plura & curiosa de Pantomimis legere cupit, adeat ILLUSTR. BATTE. Diæt. Hist. & Crit. art. Bathyllus & Pylade.

„cham, cum id nos ne suspicemur quidem  
„(y)?

§. 248.

Ex his itaque perspicuum esse arbitror, veterem Musicam nostra multo fuisse præstantiorum, & ad usus multo nobiliores adhibitam, eoque plus fidei habebitur PLVTARCHO, de viribus Musices ita differenti: *Proinde si quis Musicae eum modum, qui ad probe instituendam adolescentiam conductit, labore industriaque consequitus, in prima ætate accuratione conveniente fuerit formatus, is pulchra quidem laudabit & amplectetur, vituperabit vero his adversa, non in Musica tantum, sed & aliis in rebus: eritque is homo vacuus omnis turpis actionis, maximum hunc fructum è Musica consequutus, & cum sibi ipsi, tum civitati plurimum proderit, nullo neque facto neque verbo inconcino utens, sed ubique decorum modumque servans (z).* Quare priscis Græcis haud injuria id præcipue curæ fuit, ut adolescentes Musica disciplina imbuerent. Horum enim animos existimabant Musicæ opera fingi atque concinnari ad decorum posse (a). Sed ne effeminate & molli aliquo rhythmo animi juventutis corrumperentur, Aristoteles jubebat (b) concentibus juvenum interesse seniores, tanquam Censores & judices.

§. 249.

(y) Academ. Quest. Lib. IV. p. m. 6. b.

(z) PLVTARCHVS de Musica pag. 570.

(a) id. ib. pag. 562.

(b) Lib. VIII. Politicor.

## §. 249.

Neque vero à prima tantum infantia ad animi tranquillitatem, & coercenda pathemata animi suos ope Musices disponere conabantur Græci, sed ætate quoque provectiones eadem utebantur, quoties gravior quidam affectus obreperet, tanquam Medicina mentis. Exem-, , plum præbet CLINIAS, qui, si quando in iram , delapsus esset, & ad iracundiam se præcipi-, , tem ferri sensisset, confessim, priusquam , prorsus invaderetur ab ira, & elucesceret in , ipso mentis affectus, chordis adaptatis, cì-, , tharam pulsavit. Interrogantibus autem, ob , quam causam id faceret? *Quoniam*, inquit, mi- , tigor animo (c). Et PYTHAGORAS, ut ani- mum suum semper divinitate imbueret, priusquam se somno daret, & cum esset exprectus, cythara, ut ferunt, cantare consueverat (d).

## §. 250.

Aliorum quoque feroceſ & immitiſ animoſ, gratiam aliquam impetraturi, antequam proprius accederent, placabant ſonorū ſuavitate. Sic enim Getæ Citharas habenteſ, easque pulsanteſ, legationeſ de conficienda pace faciebant (e). Et Solon, in concionem progres-

F 5

fus,

(c) AELIANVS *Var. Hift. Lib. XIV. Cap. 23.*(d) *bid. CENSORINVS de die natal. Cap. 12. adde JAMBlichivm de vita Pythagore Cap. 25. QUINTILIAN. Institut. IX. Cap. 4. & SENECAM de Ira Lib. III. cap. 9.*(e) ATHENÆVS *Lib. XIV. Cap. II. ex THEOPOMPI Lib. Hift. 46.*

sus, Elegiâ cecinit, & Athenienses ad recipiendam Salaminem incitavit, Legemque, quæ jubebat, ut qui de Salamine recuperanda mentione in faceret, morte multaretur, abrogare coegerit (f). Neque minus eodem auxilio opus habebat Theodosius, Rex Gothorum cum ad Boëthium scriberet, ut Citharœdam sibi mitiat, qui dulci sono fera corda gentilium demulceret (g).

## §. 251.

Quid igitur bonarum Artium Musicæ anteponendum, quid æquiparandum erit, si tantæ utilitates, tum in singulos homines, tum in totam etiam rem publicam exinde redundare possunt? Quid vero eadem posset contingere acceptius iis, qui, astrorum influxu ita moderante, sub duro conjugum vivunt imperio, quarum morositatem, superbiam & auri sacram famem nullæ blanditiæ, nulli tituli, non indies auctus pecuniarum acervus mitigare possunt, si hoc idem pulsis apte chordis posset obtineri? Certe Thomas Morus, Anglus, mulierem suam per Musicam reddidisse mansuetam traditur (h). Quin castitatis etiam & pudicitiæ largitor appellatur Modus Doricus (i), quo fisi Agamemnon & Ulysses, cum in expeditionem Trojanam proficerentur, ille

De-

(f) POLTENVS *Lib. III.* & LAERT. *Lib. I.*(g) THEODORIC. *Epist. Lib. II.*(h) *Modum procedendi vid. apud PRÆTORIVM Music. Vocal. pag. 221.*(i) CASSIODOR. *Variar. Lib. II. Epist. 40.*

Demodocum suæ Clytæmnestrae, hic Phemium suæ Penelopæ, uxoribus Musicos pro conservanda castitate reliquerunt (k). Quos quis hodie imitari audebit?

§. 252.

Fuerunt etiam, qui certis uterentur sonis, quibus fibræ cerebri torpidæ & languentes, tanquam stimulo excitarentur, & ita animus ad graves obeundas functiones fieret alacrior. Sic adnotavit ACHILLES, CASSERVS (l), D. LVPVM MAXIMILIANO Imperatori & PAVLO à LICHTENSTEIN pro cerebro roborando, rationisque vigore exacuando, propter argutiam, cantum Chœrogryllorum commendasse; quamvis, monente WELSCHIO (m), haud pauci reperiantur, qui lusciniis mitilantibus, & passerum Canariensium struthismo in eandem rem magis delectentur. Et alibi (n) legimus, concentus avium gravibus etiam consiliis à Regibus Indis fuisse adhibitos. Ita enim narratur. *Lecticam sequuntur armati, corporis que custodes. Inter quos ramis aves pendent, quas cantu seriis rebus obstrepare docuerunt.*

§. 253.

Si verum est, quod supra (§. 195. scqq.) posui, nullum dari pathema animi, ad quod constituendum non requiratur determinata quædam

(k) HOMERVIS *Odyss.* a 8 γ.

(l) apud PRÆTORIVM l. c.

(m) Cent. IV. obs. 98.

(n) Q. CVRTIUS de reb. gest. Alexandri Lib. 8. Cap. 9.

dam tensio, vel relaxatio certarum fibrarum in hac vel illa plaga corporis, & pro varietate sonorum, horumque varia serie harmonica modo hæ, modo illæ fibræ afficiuntur (de quo inferius §. 278. *seqq.* plura dicendi erit locus) facile intelligitur, posse per Musicam & pravas animi passiones compesci, & novas excitari quascunque. Cujus rei aliquot exempla hic inserere libet. Narrat ZWINGERVS, EMPEDOCLEM *Agrigentinum* cantiuncula quadam furibundum adolescentem, nudoque ferro hospitem impetentem suum, compressisse & sedasse (o). Atque se ipsum vidisse & audivisse refert CAMERARIVS (p) excellentem heroëm D. LAZARVM SVENDIVM, Musica instrumenta mitiora ad refrænandos & demulcendos generosos iimpetus, intempestive occurrentes, adhibere solitum fuisse.

### §. 254.

ISMENIAS, Choraules peritissimus, ANTIGENIDIS discipulus, teste BOETHIO, multis ægritudine laborantibus, omnes animi molestias abstersit. Et GILIMER, Vandalorum Rex obsessus in monte Papua à BELISARIO, Musicae vim & solamen in miseriis intellexit, quando præter panem ad famem sedandam, & spongiam ad lacrymas abstergendas, etiam Citharam ad tristitiam pellendam petiit ab hoste (q).

Et

(o) in *Theatro Vit. Hum.*

(p) *Cent. II. Cap. 18.*

(q) PROCOP. *Lib. IV. Vandala* & JOACH. GARCÆVS  
in *Asylo*, b. e. in *exegeſi Psalm. 90.*

Et ob similem causam ad Imperatorem CAROLVM v. inductam fuisse Barbaram Blombergam, Ratisbonensem, forma ac genere juxta nobilem, ut mœrorem ejus cantu allevaret, historia testatur (r).

### §. 255.

Mœsti igitur, irati, vel aliis passionibus affecti, leni & placido musices concentu ad alacritatem & gaudia excitantur, & per illius continuationem in somnum deducuntur (s): unde etiam cantilenæ illæ vulgares pro sopiaendis infantibus; sicuti quoque cuivis fere, ubi placido torrentes obstrepunt murmure, dulcis obrepere solet somnus.

### §. 256.

VIRGILIVS (t) hoc tribuit TERPSICHORI: *Terpsichore affectus citharis movet, imperat, auget.* Hoc non totum fabulosum esse, probatur exemplis eorum, qui, diversis temporibus, eam Musices aquisiverunt peritiam, ut audientes ad quosvis animi affectus commovere per Musicam possent. Sic enim TIMOTHEVS, cum ad ALEXANDRI mensam caneret Orthium modum, Regem repente, velut insanum stantuit in pedes, coegitque ad arma prosilire; rursus vero remittente cantu, continuo & Regis remisit affectus (u).

### §. 257.

(r) STRADA Lib. X. Decad. I. pag. 611.

(s) BAGLIVUS de Tarantula pag 638.

(t) in Poemate de Mafarum inventis.

(u) SABELLIUS Lib. X. Cap. 8. ex PLVTARCH. Orat. II.

## §. 257.

**Quorūsum etiam pertinet, quod habet ovi-**  
**DIVS (w):**

*Attonitusque seces, ut queis Cybeleia mater  
Incitat ad Phrygios vilia membra modos.*

**Et alio loco (x) Musica ad audaciam movebat:**

*Dumque rudem præbente modum tibicine Thusco  
Lydius æquatam ter pede pulsat humum.*

**In medio Iplausu (plausus tunc arte carebat)**  
**Rex populo præda signa petenda dedit.**

## §. 258.

**BOETHIVS (y) hoc tribuit PYTHAGORÆ,**  
quod incitione modi Phrygii incitatum ado-  
lescentem, patria barbarum, vino temulen-  
tum & ira furentem, cum jam ædibus amicæ,  
quæ rivalem admiserat, ignem admoveare ten-  
taret, Tibicina jussa spondæos succinere, ad so-  
briam mentem revocaverit. Atque Autor est  
**POSIDONIVS (z), quod DAMON Milesius, cum**  
ad tibicinam accessisset, quæ Phrygiis modis  
ado-

---

*de Alexandr. fortun. Et h. de simili historia vid. HENR.  
SALMVTH. Lib. I. de reb. memorab. Et GVID. PAN-  
ZIROLLI Tit. de Mnſica.*

(w) *Diræ in Ibis pag. m. 273. de hujusmodi sacra quondam  
Ceremonia vid. LVCIANVS ἦτις Συρίας θεός circa  
finem.*

(x) *de Arte Amandi pag. m. 142.*

(y) *in Præfatione Musice.*

(z) *PRÆTORIVS ex quo hac transcribe, citat GALENI  
Lib. V. Dogm. HIPPOCRAT. Et PLATONIS, sed fa-  
teor me in toto isto libro nihil hujusmodi invenisse, nec  
tamen negaberim hoc exemplum alicubi apud GALE-  
NVM extare.*

adolescentes quosdam temulentos ad furorem usque accenderat, jussit ad Doricas leges tonum remittere, quo illi demulsi quievere.

§. 259.

HOTHERVS, HODBRODI Suevorum Regis, ab HELGONE Danorum Rege cæsi, filius Musicæ omnigenæ peritissimus, ad quoscunque volebat motus, variis modorum generibus humanos impellebat animos, & gaudio, mœstitia, miseratione, vel odio mortales afficere noverat (a). Omnibus vero nota est Historia de ERICO Bono, Daniæ Rege, ad quem magnæ famæ Musicus quondam se contulit, gloriatus, se harmonico suæ Testudinis concentu ad furorem usque auscultantes commovere posse. Rex igitur, rei novitate ductus, cum periculum vellet facere, ne quid accideret, omne armorum genus removeri jussit. Quo facto, Musicus insolitæ cujusdam gravitatis Melos accinere incepit, quo omnium animi in summum mœrorem conjiciebantur; paulo vero post ad amœnam quandam transibat Melodiam, qua auditorum affectus adeo fuerunt mutati, ut, quantum prius tristitiae, tantum nunc gaudii & lætitiae persentirent: id quod ex faciei etiam & reliquorum membrorum gestibus apparuit; illa vero magis magisque concitata, tanta omnium animis tandem inducebatur commotio, ut prorsus insanire viderentur. Ipse Rex, diffracta porta quadam, & gladio

(a) SAXO *Lib. III.*

dio arrepto, quatuor è proxime adstantibus fertur occidisse, & ab ulteriori cæde ægre fuisse cohibitus (b). LYLIVS GIRALDV<sup>S</sup>, cum eandem rem enarrasset, addit, se prope paria non semel apud Pontificem LEONEM X spectasse (c).

### §. 260.

*Quæ res adeo incredibilis quibusdam videbitur, ut non supervacaneum fore existimem, aliud simile exemplum adjungere, ex quo simul patebit, præstantiores Musicos de recuperanda antiquorum modorum peritia interdum serio fuisse sollicitos.* Cum vero sermo latinus eam vim forte non habiturus sit, quam ipsa Autoris verba Gallica, hæc ita, ut invenio, apponam.  
*J'ai quelque fois oui dire au Sieur Claudio le jeune, (qui a, sans faire tort à aucun, devancé de bien loin tous les Musiciens des Siècles précédens, dans l'intelligence de ces modes) qu'il fut chanté un air, qu'il avoit composé avec les parties aux magnificences, qui furent faites aux noces du feu Duc de Joyeuse, du tems d'heureuse mémoire Henri III. Roy de France & de Pologne, que Dieu absolve, lequel, comme on l'essayoit en un concert, qui se tenoit particulierement, fit mettre la main aux armes à un Gentilhomme, qui étoit là présent, & qu'il commença à jurer tout haut, qu'il lui étoit impossible de s'empêcher de s'en aller battre contre quelqu'un, & qu'alors on commença à chanter un autre air*

(b) *Vid. M. ERNST. Bedr. Eitelfeit Cap. 12. pag. 358.*

(c) *Vid. CAMERAR. Cens. I. Cap. 18, & Cens. 2. cap. 81.*

air du mode sou-Phrygiens, qui le rendit tranquille comme auparavant. Ce qui m'a été confirmé encore depuis par quelques uns, qui y assisterent. Tant la modulation, le mouvement & la conduite de la voix, conjoints ensemble ont de force & de puissance sur les esprits (d). Et paulo post (e): „Pour clorre ceste longue Annotation, si on veut voir une excellente pratique de ces douze modes, qu'il chante ou oye chanter le Decacorde du Sieur CLAVDIN le jeune, dont j'ay parlé cydeßsus, & je m'asseure, qu'il y trouvera toutes ces figures & variations maniées avec tant d'art, tant d'harmonie, & tant de scavoir, qu'il confessera, qu'on ne peut rien adjouster à ce chef-d'œuvre que la louange, que tous les amateurs de ceste science doivent rendre à ce rare & excellent personnage, lequel étoit capable de pousser la Musique jusques au dernier degré de sa perfection, si la mort n'eust devancé l'exécution de ses hauts & profonds desseins sur ce sujet.

### §. 261.

Sed & veteribus jam satis notum fuit, quantum ad audaciam militibus conciliandam, eandemque ita augendam, ut periculis eo fortiori animo sese objicerent, valeat Musica. Ita

G. enim

(d) M. BATLE *Did. Hist. & Crit. Art. Goudimel Rem.* (C) citatur ARTVS THOMAS SIEUR D'EMBRT *Comment. sur la vie d' APOLLONIUS de Tyane* *Lisr. I. Chap. XVI. pag. 282.*

(e) *ibid. pag. 286.*

enim scribit PLUTARCHVS: „Musica, ut ad  
 „omnia omnemque seriam actionem utilis est,  
 „ita imprimis ad bellica pericula. Quam ad  
 „rem alii tibiis usi sunt, ut Lacedæmonii, qui  
 „composito agmine in hostem vadentes Ca-  
 „storeum Carmen præcini tibiis instituerunt.  
 „Alii Lyra, sicuti diu sic ad pugnam profectos  
 „Cretenses ferunt. Nostra ætate tubæ apud  
 „plerosque in hunc usum successerunt. Ar-  
 „givi ad luctam, quæ Stheniorum dicebatur,  
 „tibiam adhibebant (f). Cuidam vero AGESI-  
 „LAVS roganti, quam ob causam Spartanæ ad tibia-  
 rum cantum inituri prælium exercearentur? Ut,  
 cum ad numerum, respondit, incedunt, appareat, qui  
 formidulosi sint, qui vero fortes. Nam anapæsto-  
 rum ictus strenuis addebat animum, meticulosis pal-  
 lorem & tremorem incutiebat. Itaque cum pes non  
 responderet ad modulos tibiarum, prodebat ignor-  
 vorum imbecillitas (g). Ex quo intelligitur,  
 non quævis sonorum genera, nec quibusvis  
 instrumentis producta audaciæ militum au-  
 gendæ fuisse idonea, sed graves imprimis &  
 fortiores per tubas vel tympana concitatos aë-  
 ris tremores hunc effectum producere potuiss-  
 se. Sic Indos Cymbalorum & tympanorum  
 pulsu, & flagellis aerem & tympana verbe-  
 rantes, in hostem irruisse ferunt (h): & Mi-  
 senum Æoliden celebrat VIRGILIUS:

Quo

(f) PLUTARCHUS *Lib. de Musica* pag. 562.

(g) PLUTARCHUS *in Lacon. apopbib.* & ARISTOTE-  
 LES *Probl. referente GELLIO Lib. I. Cap. II.*

(h) ALEXANDR. *Lib. 4. cap. 2. ex ATHEN. Lib. 4. cap. 1.*

- - - - *Quo non præstantior alter  
Ære ciere viros, Martemque accendere cantu.*

§. 262.

Quoniam vero nimia militum ferocitas & immoderatus cum hoste congregandi fervor saepe generosos animos objecit periculis, quæ, si remissius egissent, facile evitare potuissent, hinc factum est, ut interdum molliori sonorum concentu animos nimio impetu præcipites, tanquam frenis, compescerent. Cujus rei dignum, quod hic inseratur, exemplum suppeditat AVLVS GELLIVS (i) sequentem in modum narrans: *Autor historiæ græcæ gravissimus THUCYDIDES, Lacedæmonios summos bellatores non cornuum tubarumve signis, sed tibiarum modulis in præliis usos esse refert. Non prorsus ex aliquo ritu religionum, neque rei divinae gratia, neque etiam, ut excitarentur atque evibrarentur animi, quod cornua & litui moliuntur; sed contra, ut moderatores, modulatoresque fierent, quod tibicinis numeris temperatur. Nihil adeo in congregandis hostibus, atque in principiis præriorum ad salutem virtutemque aptius rati, quam si permulcti sonis mitioribus, non immodice ferocirent. Cum præcinctæ igitur classes erant, & instructa acies, cæptumque in hostem progredi, tibicines inter exercitum*

G 2

citum

(i) loc. cit. Iquod totum Caput legi meretur, in quo inter alia docetur, quomodo Oratores, dum pro concione verba facerent, tibias adhibuerunt, ut sonis tum placitis, tum cœtatis, aut demissam jacentemque orationem erigerent, aut ferocientem sanguinemque cohicerent.

*citum positi, canere incepabant. Ea ibi præcensione tranquilla & venerabili, ad quandam quasi militaris musicæ disciplinam, vis & impetus militum, ne sparsi dispalatique proruerent, cohibebatur.*

### §. 263.

Nostro etiam tempore peculiare quoddam genus Musicæ militum animis, excitandis tamen potius, quam reprimendis destinari solet. Siquidem illæ modulationes, quas *Marches* vocant, nescio quid masculi præ se ferunt, dum violentiores, & quasi præruptis intervallis recurrentes ictus torpidos motus concitare, animo & corpori robur addere, & ita ad quævis subeunda pericula alacriores reddere plerumque observamus. Licet hunc effectum sæpius fortuito & ex consuetudine, quam peritiori virium musicarum intelligentia obtineri existimem; multo minus, prout rei ratio exigit, animis modo demulcendis, modo incitandis sonos accommodari deprehendamus. Ut adeo Musica quidem, sed non vera ejus utilitas nobis superesse videatur.

### §. 264.

Dum enim veteres harmonico sonorum concentu inter epulas utebantur, sicuti passim apud Homerum legitur, Cantores, Heroum res gestas ad Citharam canentes, conviviis interfuisse, & tam frequenter laudari videmus  
*Cantusque & Chreas, dulcis donaria cœnæ* (k).  
 Hoc

(k) HOMERVS *Odyss. a. 6. 153. & passim alibi.*

Hoc non animi causa, & ad fovendas voluptates factum putandum est, sed potius, ut ea, quæ à liberaliori compotatione obvenire solent, incommoda averterent. Id quod elucescit ex his verbis PLVTARCHI (l): *Neque velim quenquam suspicari, id voluisse Homerum significare, duntaxat ad oblationem conducere Muscam.* Sed altior latet verbis in illis sensus. Adscivit enim utilitatem & auxilium Musices opportunissimo loco, in cœnas, in quam, & convivia veterum. Ideo quippe eam bis adhiberi receptum fuit, quod animum revellere, & vim caloris vini mitigare valeret. In quam sententiam etiam Aristoxenus noster dixit, *Musicam introductam in cœnas esse, quod, sicuti vinum, nimium ipso utentium & animos & corpora labefaciat: ita Musica suo ordine & concinnitate in contrarium statum abducit, atque sedat.* Ea enim quibusdam fuit hujus artis peritia, ut illis, qui ebrietate & crapula inducti aliquid mali perpetrabant, tibias & concutum accommodarent, ut ingenia his modis irrigata, honestiores maturescendo mores acquirerent (m).

### §. 265.

Quid vero dicam de sacro Musices usu? cuius in remotissimis jam temporibus invenimus vestigia. Hymnos enim in laudem Summi Numinis compositos, quos Psalmos vocabant, præter DAVIDEM & alios, MOSES etiam, G 3 omnium,

(m) PRÆTORIVS de Mus. Socnl. ex DIOTOGENE Pythagoreo Lib. de Sanctitate.

omnium, scriptor antiquissimus, ad leges Poeticas concinnavit. Testimonio sunt eorum inscriptiones, quæ etiam simul indicant, quibusnam instrumentis Musicis inter eorum cantum fuerint usi. Ita non minus, quicquid veteris Theologiæ Ethnicæ superstet, Poetis debetur. Ut adeo merito oriatur suspicio, olim jam ab illis fuisse cognitum, inesse aliquam Musicæ vim, qua hominum animi ad venerationem, piumque divinitatis cultum excitari possent.

### §. 266.

Quare etiam illi, qui vel barbaras gentes aliqua religionis opinione imbuere, vel à patre more ad novum Divinitatis cultum traducere conabantur, ad id efficiendum nihil aptius duxerunt Musica. Ut enim omittam dubiæ fidei Orphei historiam, Numa Pomplius, cum rem ad multitudinem imperitam, & illis seculis rudem, efficacissimam, deorum metum injiciendum ratus esset, inter alia, Sacerdotes etiam per urbem ire, canentes carmina cum tripudiis solennique saltatu jussit (n). Atque, teste LUCIANO, nulla ceremonia antiqua inveniebatur sine Saltatione; & in Delo neque Sacrificia sine Saltatione & Musica fiebant, quod ex his ejus verbis discimus: ἐώ λέγειν ὅτι τελετὴν δρχαίαν καὶ δεμίαν ίσι εὐρεῖν, αὐτεν ὄχησεως. - - - cù Δῆλω δευτερόδεις καὶ θυσίας αὐτεν ὄρχησεως, ἀλλὰ σὺν ταύτῃ, καὶ μετὰ μεσοπάκτης ἐγίνοντο, παιδῶν χοροὶ συνελθόντες cù αὐλῷ καὶ κιθάρᾳ, οἱ μὲν ἐχόρευοι, ὑπαρχόντο δὲ οἱ φειγος

(n) LIVIVS Lib. I. fol. 4.

άεροις, περιειδέντες ἐξ ἀντῶν (o). Quos deinde ritus, consuetudine confirmatos retinuerunt sequiora tempora, præsertim cum Deos, quibus & scelera & imbecillitates & voluptates humanas tribuebant, harmonico sonorum concentu vehementer delectari, iratosque ad misericordiam revocari posse, vulgaris fuerit opinio. Unde Achivi Apollinem, qui gravem pestilentiam in exercitum immiserat, placabant assiduis cantibus & Hymnis, ut narrat pater Poetarum:

ὅς δὲ πανημέγριος μολπῆς θεὸν οἰλάσκοντο  
Καλὸν ἀείδοντες παῖσαν κῆρυς Ἀχαιῶν  
Μέλποντες ἐκάεργον. ὁ δὲ φρένας τέρπεται ἀκύων (p).

*Toto vero die cantu Deum placabant  
Pulchre canentes Paana (q) filii Achivorum  
Cantu venerantes Apollinem, hic vero audiens  
oblectabat animum.*

### §. 267.

Certum est interea, quod illi, qui novum quendam religionis cultum introducere cupiebant, eam ob causam ornamenta Musices suis præceptis adjecerunt, ut hæc eo facilius in mentes, illius dulcedine præmollitas, & altius descendere possent. Quod sane non vulgarem virium musicarum scientiam deposcebat. Quam tamen ab ARIO hæretico illo, qui Seculo IV. vibebat, & negabat divinitatem

G 4

aeter-

(o) LVCIANVS αἰὶ ὄρχήσεως pag. 764.

(p) HOMER. Iliad. a. 6. 472.

(q) Paan hymni species fuit.

æternam & consubstantialitatem Verbi, ad perniciosos suos propagandos errores adhibitam fuisse legimus. Rem forte plures Gallica lingua expressam, quam latina hic insertam, invenire mallent: Reddo itaque ut reperio.

„Depuis qu'Arius etoit sorti de l'Eglise, il „s'etoit avisé de faire diverses chansons pour „des matelots, pour des voyageurs & pour „ceux, qui travaillent au moulin; & il en „avoit aussi mis en air quelques autres, qu'il „croyoit capables de toucher ses sectateurs, „selon leurs différentes dispositions, tachant „d'inspirer son impiété par la douceur de ses „chants aux personnes les plus simples & les „plus grossiéures (r).

### §. 268.

Ubi quidem meretur observari, ARIVM suave quoddam & molle Harmoniæ genus elegisse, & vario singulorum genio accommodasse, quo vel incautorum surriperet assensum, vel animos frangeret renitentium. Optimo utebatur auxilio ad finem pessimum. Cum enim hujus autoris impietas satis reprehendi non possit, immerito tamen à quibusdam (s) vituperari videtur, quod effeminatos & gravitati Religionis minus aptos in suis cantilenis, &

præ-

(r) BATLE *Dict. Hist. & Crit. art. ARIVS Rem. (L) citat.*  
HERMANT *bis de Saint ATHANASE Lib. I. Cap. XIII. pag. 61.*

(s) *id. HERMANT ibid. & le Pere MAIMBOURG Arianismus Tom. I. pag. 81. Edit. de Hollande.*

præsertim famosa ista Thalia (t) adhibuerit modos; quibus, si nihil profecit, minime invidendum: si vero, quod voluit, assequutus est, confirmatur utilis istorum modorum efficacia, multis aliis violentioribus remediis præferenda.

### §. 269.

Eandem reprehensionem incurrerunt illi, qui circa medium seculi VI. Psalmos Davidis suavioribus modulationibus exornatos populo præcini curabant. *Ces sont là les Pseaumes, qu'on chantoit alors, ausquels Beze ajouta depuis le reste du Psautier, & qui furent mis en Musique en un certain air de chanson mol & effemine, qui n'a rien du tout de devot & de majestueux, comme le chant de l' Eglise Catolique (u).* Cui judicio non video quomodo Bælius subjungere potuerit: „On ne peut tout à fait nier ce que raconte VARILLAS, que les airs furent choisis „parmi les plus belles chansons du tems (w). „Voyez la divine melodie de JEREMIE de POVRS Liv. II. pag. 577. (x). Cum idem citatus autor paulo post (y) fateatur, has Melodias concinnatas fuisse à Claudio Gaudimelo: & ab eodem alibi (z) allegatus locus ex THVA-

G 5

NE

(t) Vide eosdem ibidem.

(u) MAIMBOURG *Histoire du Calvinisme* pag. 99.

(w) VARILLAS *Histoire de l'Heresie* Libr. XXI. pag. 49. à l'an 1559.

(x) BATLE *Dicq. art. Arius Rem.* (L) citat. 39.

(y) pag. 581.

(z) BATLE *Dicq. art. Goudimel Rem.* (B) citat. 3.

ni historia contrarium doceat: „*Eandem fortunam expertus est Claudio Gaudimelus, excellens nostra ætate Musicus, qui Psalmos Davidicos, vernaculis versibus à Clemente Maroto & Theodoro Beza expressos, ad variis & jucundissimos modulationum numeros aptavit, quibus & hodie publice in concionibus protestantium, ac privatim, decantantur.* „ Per eandem fortunam intelligit Tragicam mortem anno 1572 Lugduni illi illatam. De qua re audiendus est aliis Historicus, quia simul testatur, has, de quibus loquimur Psalmorum Melodias non ab elegantioribus & profanis istius temporis cantiunculis desumptas, sed à præstantissimo Musico recens inventas & singulari studio elaboratas fuisse: *Mandelot se mit inutilement en devoir d'empêcher à Lyon le massacre de treize cent Calvinistes, & sur tout de l'incomparable Musicien, Goudimel, si connu sous le nom de Claudio le jeune (a).* Son plus grand crime fut d'avoir inventé les plus beaux Airs des Pseaumes de Marot & de Beze, qui se chantoient au Prêche, & pour l'en punir on n'eut point d'egard à la loi Romaine, indulgente aux personnes singulieres en leur profession, a cause que le public en s'en defaisant, perdoit sans comparaison davantage, qu'il ne profitoit par l'exemple de leur suppli-

ce

(a) CLAUDIO GAUDIMELUS & CLAUDIO junior, de quo s. 260. egimus, male habentur pro una eadem quo persona, probante BATLE ib. Rem. (C).

ce (b). Nisi à proposito meo nimis esset alienum, libenter adderem BÆLI<sup>I</sup> observatio-  
nem, quam de notabili hac lege Romana sub-  
jungit, & animadverterem, quam sapienter la-  
ta hujusmodi lex, & quam idonea fuerit multis  
ad diligentius excolendas artes incitandis.

## §. 270.

Silentio tamen præterire non possum, quod  
habet idem BÆLI<sup>V</sup>s loco jam citato. Dixerat,  
sibi non videri absolum, cantiones sacras ada-  
ptare iisdem modulationibus, quibus in Ludis  
publicis, quos *Opera* vocant, utuntur, & ita  
pergit: „Ce n'est pas sans raison que j'ai alle-  
„gué en exemple les chansons de l' *Opera*:  
„j'ai voulù faire connoître, qu'il faut eviter plus  
„soigneusement l' imitation des airs du Pont  
„Neuf dans les Cantiques spirituels; autre-  
„ment on expose trop la Religion au mepris  
„& à la rilée, comme il paroit par le Livre,  
„dont l' Auteur de l' Evêque de Cour s'est  
„tant moqué (c). C'est un Recueil de Chan-  
„sons spirituelles, composé par un Jesuite, &  
„par le P. Martial de Brive, Capucin, sur les  
„airs les plus burlesques, qui eussent été chan-  
„tez dans les rues, sur l' Air de *Daye d'en Daye*,  
„sur celui de *Vous y perdez vos pas Nicolas*, &c.  
„Je doute que la Thalie d' Arius aprochât de  
l'im-

(b) VARILLAS *Histoire de Charles IX.* Libr. IX. p. 471°  
472. d' Edition de Paris, in 12. 1684.

(c) citatur *Entretien III.* pag. 86. & suis. d' Edition de Hol-  
lande in 12. 1674.

„ l' impertinence de ce Recueil, imprimé avec  
 „ l' aprobation de deux Docteurs en Theolo-  
 „ gie (d). „ Hoc unum adjicio, præparandis  
 animis ad suscipienda Religionis præcepta con-  
 venire modos moliores, & qui sua suavitate  
 vel invitos ad assensum deflectere valeant;  
 confirmandis vero, & in justa rerum sacrarum  
 veneratione retinendis magis congruere gra-  
 vius harmoniæ genus, & quod rei, quam ex-  
 primere debet, majestatem aliquo modo præ-  
 seferat. Cui usui Græcos modum Dorianum  
 destinasse constat.

## §. 271.

Nunc quidem, post tot adducta exempla de  
 viribus Musices in mutandis animis, ordinis  
 ratio postularet, ut docerem, quibusnam so-  
 nis hæc omnia effici possint: Cum vero hoc  
 à nemine perspicue, & ut vocant, à priori trā-  
 di queat, nisi perfecte habeat cognitum, 1) quæ-  
 nam chordæ nerveæ in septo cochleæ à quoli-  
 bet sono moveantur (§. 139.) 2) ad quam plā-  
 gam medullæ cerebri iste nervulus motus per-  
 tineat, (§. 180.) 3) quem ibidem commoveat  
 alium abeuntem à cerebro ad aliquam fibram  
 motricem (ibid.) 4) quænam & quarum fibra-  
 rum determinatæ conditiones hoc vel illud pa-  
 thema animi exhibeant (e); & hæc indagatu  
 adeo difficultia sint, ut eorum quondam detegen-  
 dorum

(d) BATLE *Dicit. art. Arius Rem. (L) in fine.*(e) *omitto brevitatis studio duos alios operandi modos mox*  
*(§. 273.) addendos.*

dorum omnem prorsus spem abjicere cogamur; hinc perspicimus, & veteres istos Græcos, quos hujus artis maxime peritos fuisse novimus, diuturno rerum usu id sibi comparasse, & recentiores, qui aliquid laudis in hoc genere adipisci cupiunt, eandem sequi debere ducem experientiam (f). Quod tamen studium adjuvabit operosior earum, quas huc usque enarravimus, rerum investigatio.

### §. 272.

Transeo itaque ad eos Musices effectus, quibus, licet animus plerumque simul afficiatur, corpus tamen potissimum ita mutari posse deprehendimus, ut vel lignentur morbi, vel profligentur.

### § 273.

Triplex autem esse potest modus, quo soni aliquid in compage corporis mutare valent: 1) dum in aliquam nervi auditorii fibrā agunt, & hæc actio propagatur usque in medullam cerebri, & inde continuatur in quandam reliqui corporis partem. 2) dum nervus auditorius tremore affectus commovet aliū nervum secum cohærentem, & inde ad certas reliqui corporis plagas porrectum. 3) dum fibræ solidæ, totum corpus constituentes (§. 176.), &, ratione suæ longitudinis & tensionis, ad certum quandam tremorem suscipiendum aptæ, proxime

(f) *quibusnam animi affectibus quilibet sonus conuenire censetur vid. apud Hoffman. in mus. pract. precept. Cap. ultimo, numero quobis septimo.*

xime, & sine interventu Organi auditorii, agitantur.

### §. 274.

Primi modi explicatio peti potest ex iis, quæ supra dictæ sunt de Organo auditorio, Cerebro, nervis & animi pathematibus. Hæc enim, si rite inter se conferuntur, & per haec tenus expressa exempla, propriamque cujuslibet experientiam satis probatur, quoslibet affectus animi per Musicam concitari posse, patebit, eandem, vi suæ activitatis in animum, corporeas etiam functiones modo turbare, modo impeditas restituere valere.

### §. 275.

„Quemadmodum enim affectus animi violenti, aut diu permanentes iidem cerebrum, nervos, Spiritus, musculos, addo viscera, humores, mirabiliter & efficacissime mutant, figunt, depravant; hinc quoscunque fere morbos valent producere, & fovere pro sua diversitate & duratione (g).

### §. 276.

Ita etiam iidem affectus motus languidos excitando, nimios deprimendo, hinc humores attenuando, vel condensando, secretiones & excretiones parciores augendo, nimias cohబendo &c. causas morborum imminentes avertere, præsentes tollere, & ita recuperandæ sanitatis instrumenta esse valebunt. Id quod infinita

---

(g) *Cel. BOERHAAVE Instit. Med. S. 771.*

finita apud observatores medicos confirmant exempla.

§. 277.

Secundo non frustra, nec fortuita facta esse videtur illa notabilis nervi auditorii cum iis, qui actionibus vitalibus maxime præsunt, conexio. Ramus enim nervi acustici durior è cavitate tympani per foramen Processui Mastoideo & Styloideo interjectum revertens cum pari vago, quod ramos impendit laryngi, pharyngi, cordi, pulmoni, & præcipue ventriculo (h), communicat (i). Et ramus quintæ conjugationis, cuius pars cum ramo sexti parisi nervum intercostalem constituit, qui ad omnia fere thoracis & abdominis viscera abit, maxillaris superior (k) surculum ad aures, tympani chordam cum ramulo parisi septimi constitutem mittit. Unde etiam, quod hic notari meretur, tinnitus aurium, & aliquando surditas Hypochondriacis contingere videtur (l).

§. 278.

Quando itaque certæ quedam fibræ nervi acustici à sonis commoventur, tunc hæ, vi suæ con-

(h) *fid. Cel. HEISTERVS in Compend. Anatom. pag. 135. Num. VIII.*

(i) *de la CHARRIERE Nouvelle Anatomie de la Tête de l'homme.*

(k) *DIEMERBROECK maxillarem inferiorem nominat, ubi tamen plus fidei habendum est Cel. HEISTERO, qui superiorem sicut esse l. c. p. 134. Num. V. 2.*

(l) *fid. DIEMERBROECK Obs. 98.*

connexionis, eum motum transferre poterunt in aliquas fibras nervorum modo intercostalium, modo paris vagi; adeoque pro eorum, ad quæ pertinent, viscerum diversitate, insignes & determinatos ibidem valebunt producere effectus, morbos, sanitatem, pathemata: Quemadmodum quoque vice versa istorum viscerum vitio lædi observatur auditus. *Bilioſæ dejectiones, superveniente surditate, cessant;* & surditas supervenientibus bilioſis dejectionibus curatur (m). In febribus enata surditas alvum remoratur & fit (n). Parotides in febribus solvit diarrhoea bilioſa (o). Multo plura ejusdem argumenti prætereo.

### §. 279.

Si à pastu portiones quædam carnis dentibus adhærent, & hæ post aliquot horas saliva elutæ & maceratæ eximuntur; tunc carnem mutatam esse videmus in tenuissima filainenta alba, instar lanæ.

### §. 280.

Partes itaque his filamentis interjectæ sunt molliores, mediae inter solidum & fluidum naturæ, ex fluida sanguinis gelatina recens appositæ, facile iterum resolubiles in liquorem, nutrimenti nostri præcipuam materiam.

### §. 281.

Ipsa vero filamenta, seu fibræ sunt solidiores,

(m) HIPPOCRATES Sect. IV. apb. 28.

(n) id. in Coacis.

(o) id. Lib. I. de morbis vulgaribus.

res, tenaces, quæ se extendi patiuntur, moxque se ipsas iterum contrahunt, antiquioris originis, salivæ solventi resistentes, hinc nutritioni parum idoneæ, cum fecibus expelluntur.

### §. 282.

Omne solidum nostri corporis componitur ex ejusmodi fibris, plus minus ad motum liberis, pro varia soliditate partium, quas formant, & mollitie materiæ ambientis.

### §. 283.

Si in animali vivo fibra mollis quæcunque dissecatur, tunc utrinque resiliunt extremitates versus sua principia, instar chordarum tensarum; si caro viva inciditur, tunc labia utrinque retrahuntur & vulnus fit amplius. Quod idem obtinet in cadaveribus, in quibus, si quid muscularum, maxime nervorum discinditur, divisæ partes continuo fiunt breviores, ita, ut non sine magna vi iterum ad mutuum contactum adduci queant.

### §. 284.

In cadaverum arteriis parum, vel nihil sanguinis reperitur, quo tamen venæ turgent: cuius rei hæc est ratio: canalis arteriosus sibi relictus multo est angustior, quam in corpore vivo conspicitur; dilatatur vero, & distenditur à sanguine vi cordis impulso; quo impulso remittente in diastole, arteria continuo nisu elasticō se ad nativam suam angustiam

H

coar-

coarctare conatur; & se coarctat, quantum copia sanguinis cedentis permittit; illud vero, quod tam cito cedere nequit, impedit ulteriorem constrictiōnem, & mox novus sanguinis arteriosi appulsus in Systole cordis novam arteriæ dilatationem inducit; & sic perpetua fit dilatatio & constrictio arteriarum. Venæ quidem etiam reagunt in sanguinem transfluendo distendentem, sed ob tenuiorem structuram debilius, quam arteriæ. Unde impulsu cordis penitus cessante, arteriæ omnem fere suum sanguinem in venas minus resistentes exprimere pergunt.

### §. 285.

Omnia itaque vasa in corpore vivo ab impulsis humoribus fiunt ampliora, quam forent vacua; & perpetuo nixu suæ elasticitatis comprimunt fluida. Quod manifestum fit, dum arteriam aliquam majorem digito immisso dilatamus: accurate enim percipimus, qua vi, & quam arcte illa arteria digitum amplectatur & premat, non secus, ac si constricta manu comprimeretur.

### §. 286.

Ergo omnis fibra mollis in toto corpore semper est in statu coacto, semper distensa molitur sui contractionem; & est quidem ille fibræ status, quem Medici *tonum* vocant, principium omnis activitatis in corpore; saeppe sanitatis & morborum effector plurimorum,

rum, pulchre docentibus gravissimis Viris, BAGLIVIO (p) & BOERHAAVIO (q): prout nempe vel imminuitur vel augetur, vel aboletur in toto, vel certis partibus strictura fibra rum.

### §. 287.

Hæc dum ita mecum considerabam, & contemplabar, atque cum iis, quæ superius (§. 93 - 105.) dicta sunt de vi sonorum in commovendis fibris ligneis, comparabam, videbatur mihi fieri posse, ut tremor aëris, quemcunque sonum sistens, corpori applicatus inveniret fibras motrices ejus tensionis & longitudinis, quibus hæ ejusdem tremoris concipiendi fieren capaces; & eadem commoverentur vere, absque ope organi Auditorii; & pro diversitate illarum partium, quas componunt, variæ & determinatae tum solidorum, tum fluidorum mutationes producerentur, atque ex his explicarentur effectus Musices in corpus animatum.

### §. 288.

Dubium enim esse non potest, quin fibræ motrices in corpore reperiantur diversæ longitudinis, & tensionis cujuscunque fere possibilis, pro varietate originis, insertionis, soliditatis materiae ambientis, & ætatis ac tempe-

H 2 ra-

(p) *de fibra motrice & passim alibi.*

(q) *in Aphorismis de cognoscendis & curandis Morbis, & s. 22, usque ad §. 55.*

ramenti individui. Sed hic iterum, quo minus determinare valeamus, quænam partes corporis, aut quodnam viscus, aut qua præcise ratione affici debeat à quoque sonorum genere, obstat penuria experimentorum, scientia Anatomica valde adhuc manca, infinita structuræ in singulis corporibus diversitas, & demum impossibilis omnino viribus humanis assequenda minutissimarum, magni tamen ponderis rerum hic obviarum, cognitio & dijudicatio.

### §. 289.

Quo circa nihil sperare licet de absoluta quædam hujus phænomeni Physici demonstrazione, qua ex ordine positis causis omnibus ad certum quendam & necessario semper & ubique sequuturum effectum rationem concludere possemus. Hoc itaque solum nobis relinquitur, ut effectuum cognitorum quæramus causas, & in harum investigatione eousque pergamus, quo usque scientia physica & Anatomica nos tuto deducere valebit.

### §. 290.

Quapropter præcipua jam erit quæstio, an fibræ motrices homotonæ in corpore vivo sint idoneæ ad eum concipiendum tremorem, quem exhibet sonus in aere? quod, ut mihi videatur vero consentaneum, sequentes faciunt rationes.

### §. 291.

## §. 291.

Omnes, quorum copia fieri potest, humores corporis vivi ebulliunt in vacuo, id est, magnam quantitatem aeris continent, cum humoribus per totum corpus diffusam.

## §. 292.

Animal vivum in vacuo intumescit ad mortem, imo rupturam usque; si tamen justo tempore aliquid aeris iterum admittitur in Campanam, statim detumescit ac reviviscere videtur.

## §. 293.

Ergo aer externus comprimens impedit nimiam expansionem aeris interni, atque in eundem semper agit premendo; dum ille interea perpetuo reagit extrorsum vi suae elasticitatis & expansionis a calore aucta.

## §. 294.

Si aeris externi pressio est inæqualis, interrupta, tremula, tunc similis debet esse resistentia aeris interni, qui eundem tremorem concipit, quo aer externus agitatur: eundemque tremorem communicabit fibris vicinis, & maxime iis, quæ ratione suæ longitudinis & tensionis præ ceteris aptæ sunt ad eas vibraciones recipiendas.

## §. 295.

Cujus rei testimonium præbere arbitror surdos, quibus, si supra caput loquimur, facilius

sonus percipitur, quod non fieret, nisi à tremore aëris externi commoveretur aer internus, & ab hoc fibræ homotonæ; & sic communicaretur hæc impressio, donec perveniat ad eam fibram nerveam, quæ ideam istius soni sistit in sensorio communi.

### §. 296.

Quibus vero istæ fibræ, quod plerumque mollius quoddam circumfusum est parenchyma, hujusmodi tremori exercendo minus idoneæ esse videntur, illi in animum revocent velim ea, quæ superius (§. 93. sqq.) de commotione fibrarum lignearum si non probavi, effeci tamen, ut valde sint credibilia; hisque addant materiam, ex qua istæ fibræ originem trahunt & alimentum, gelatinosam, totam nempe in se & sua natura tremulam; & denique intelligant, me hic non quærere vibrationes tam vegetas & durabiles, quales in chordis libere hærentibus observantur; cum mihi potius sufficiat concessa quantulacunque commotio fibrarum internalium à sono externo producta, & ea quidem lege, ut fibræ homotonæ præ omnibus aliis & citius & vegetius isti impressioni obedient, eamque sponte sequantur.

### §. 297.

Qui enim norunt, quam parva sæpe fibrarum mutatio gravissimis morbis modo originem, modo levamen præbere valeat, & ex iis,

iis, quæ supra (§. 147. sqq.) dixi, repetunt, quam simplex, quamque parva esse possit, & debeat mutatio fibræ medullaris, qua, exempli gratia, sumimus dolor exprimitur, iis etiam non difficile erit intellectu, sonos modica sua vi, qua agunt in fibras internas, magnos tamen & notabiles effectus, morbos & sanationes in corpore vivo exhibere posse, prout fibræ ratione suæ longitudinis, tensionis & soliditatis in hac vel illa plaga corporis, vel in toto quodam viscere, respondent sono in certa quadam modulatione frequentius obvio, dum istæ fibræ modo stringuntur, modo relaxantur, & sic cursus humorum varie determinatur, certæ secretiones augentur, immiuuntur, supprimuntur, materia stagnans impellitur, vel alibi impingitur, & quæ sunt similia, & omnem modum enumerationis varietate sua & numero superantia.

## §. 298.

Ex quo efficitur, vim magnam esse Musices in utramque partem, & ad morbos & ad sanitatem. HIPPOCRATES (r) certe, ubi in genere loquitur de morborum causis, his inter alias accenset auditum, quo mediante, per certa Musices genera certos morbos in dispositis produci posse, confirmatur eleganti quadam & memorabili historia, à LVCIANO (s) relata, quam sic latine reddo: Abderitas, ferunt, Ly-

H 4

simas-

(r) ἡδὲ παθῶν in principio.

(s) in Lib. πάς δὲ ισοεία συγχεύεται pag. 543.

simacho regnante, incidisse in hunc morbum: Febris invadebat omnes à primo statim die gravis & difficilis, circa septimum vero, aliis sanguinis fluxus è naribus, aliis sudor affatim erumpens solvit febrim. In ridiculum autem affectum eorum mentes conjectit. Omnes enim Tragoëdiam imitabantur & Jambica cantabant, & valde vociferabantur. Præprimis vero Euripidis Andromedam & Perseos dictionem cantu celebrabant. Et tota urbs repleta erat pallidis illis, & emaciatis septem dierum Tragicis: *Tu vero ò Deorum Rex & hominum, Amor!* & alia similia magna voce clamabant. - - - - Mihi vero videtur hujus rei causa fuisse Archelaus Tragicus, tunc celebris, qui media æstata, sub summo Solis calore Tragoëdiam, quæ Andromeda inscribitur, ipsis exhibuit. Ita, ut multi jam à Theatro febricitarent, & postridie à somno surgentes in Tragicas gesticulationes inciderent, eò, quod Andromeda memoriarum eorum facile inhæreret, & Perseus cum Medusa omnium obversaretur animis.

### §. 299.

Neque hoc loco committere possum, quin aliquam injiciam mentionem de illo Musices effectu, quo observamus, certos homines non tantum ardentissime in patriam revertendi desiderio inflammari, sed in gravissimum quoque, si voti non illico fiunt compotes, conjici morbum, qui Nostalgia (Das Heimweh) vocari

ri solet. Quo vero, licet & alii ab eo non prorsus sint immunes, præprimis tamen corripiuntur Helvetii, & inter hos ex pago Bernensi oriundi. Qui, dum patrios Lares, familiares & cognatos, pascua & armenta, inter quæ plerique juvenilem ætatem agunt, relinquentes in remotissimas Galliæ provincias militatum proficiscuntur, tanto interdum charissimæ patriæ exagitantur desiderio, ut in affectum illum, quem Galli vocant *la maladie du païs*, incident. Fuit igitur observatum, huic morbo sœpius occasionem dedisse milites veteranos, qui, ut recens advenientibus illudenter, modulabantur Cantilenam illam Helveticam (den Rühe, Neyhen,) quam hi in patria à rusticis & pastoriibus tibiis cantatam audire consueverant (t): Adeo, ut Præfecti militum publicis legibus hanc licentiam cohibere fuerint coacti (u).

### §. 300.

Apud veteres tamen Scriptores multo plures inveniuntur historiæ morborum auxilio Musices sublatorum, & quidem tales, ex quibus colligere quis posset, fuisse istis temporibus peculiarem disciplinam, Arti Medicæ adjunctam, qua præciperetur, quomodo vi harmoniæ Musicæ certæ quædam corporis & animi afflictiones mitigari, vel etiam penitus tolli

H 5

pos-

(t) *bujus Clausula* (die Nøten) videri potest in *Miscell. Vratislav.* ann. 1718. Mens. Martii pag. 814.

(u) HARDER. *Diss. ac Nostalgia & THEOD. ZUVINGERI Diss. de Parbopuridalgia.*

possint. Unde veteres eidem Apollini non sine ratione tribuebant inventionem tam Musices, quam Medicinæ; & suht', qui affirmant, Apollinem certis quibusdam Citharoëdicis normis à se inventis vitam multis mortalibus produxisse, abstulisseque feritatem (w).

### §. 301.

Proprium' vero filium Asclepium doctrina Medica instituendum Apollo tradidit Centauro Chironi, qui eum edocuit quoslibet morbos curare, & quidem alios *mollibus cantibus*, alios potionibus, alios topicis medicamentis, & alios operationibus Chirurgicis (x). Ad quem locum vetus Scholiaſtes monet: ὅτι αἴ-  
χαία ἦν καὶ οὐ δι' ἵπαθεῖς ιατρεῖκη, καὶ εἰ μόνον οὐ διὰ φαρμά-  
κων καὶ διάτης. Φησὶ καὶ θύμηθε: Εἶπαο δῆλον αἷμα κελαινὸν  
ἔσχεθεν. *Quod etiam antiqua fuit per cantus Me-  
dicatio, & non tantum ea, quæ fit per medicamenta  
& victus rationem. Et Homerus inquit: Incen-  
tione vero cobibuit sanguinem nigrum.*

### §. 302.

Illi vero populi, qui artis Musicæ rudes erant, adeo tamen de ejus efficacia erant persuasi, ut, si qua morborum pernicie premebantur, implorarent auxilium peritissimorum Musicorum peregre accitorum. Sic de Lacedæmoniis quidem non legitur, quod multam operam dederint Musicæ, de qua nihilominus optime ju-  
dica-

(w) LVD. VIVES de Laudibus Philosopb.

(x) PINDARVS in πύθia pag. m. 183.

dicabant, ajebantque, se jam tertium eam à corruptelis vindicasse (y). „Quoties itaque „doctrinarum auxilio opeque, vel ægrotantes, „vel delirantes, aut alioqui publica calamitate „affecti indigebant, accersebant homines pe- „regrinos, ut Medicos, aut vaticinio Apolli- „nis. Accersiverunt autem Terpandrum, „Thaletem, Tyrtæum, Cydoniatam Nym- „phæum & Alcmanem, qui tibicen erat, „omnes Medico-Musicos (z).,, Et THEO- POMPVS *Libro nono Philipporum* inter alia mi- randa de Bacide tradit, quod aliquando Spar- tanas mulieres, furore correptas expiarit, (per musicam scilicet) Apolline hunc ipsis expia- torem annuente (a).

## §. 303.

Ex quo non sine ratione conjicere quis pos- set, celebres tunc temporis extitisse Musicos, qui ad ægrotos vocati, ut alii pharmacis, sic concentu musico prudenter adhibito quibus- dam morbis depellendis dederint operam: Quemadmodum passim in Apulia nunc quo- que Citharoëdi ad id conducti feruntur, ut à Tarantula vel Scorpione demorsis vario sono- rum genere promptum afferant auxilium. Quorum tamen ars eo inferior censenda est illo-

(y) *bid. ATHENÆVS Lib. XIV.*

(z) *ÆLIANI Var. Hist. Lib. XII. Cap. 50.*

(a) *SCHOLIASTES Aristophanis in Pace apud SCHEFFEL RVM in notis ad cit. loc. Aelian.*

illorum peritiâ, quo plures illi morbos ope Musices profligare didicerant: ut pote qui non tantum morsus ab animalibus venenatis illatos, sed alias præterea ægritudines, & eas maxime, in quibus fibræ solidæ præprimis afficiuntur, vel turbatur animus, vel quæ animo levato sponte mitescunt, ut dolores arthriticos, spasmos, Epilepsiam, Melancholiam, furorem & febres pestilentiales cantu harmonico oppugnare solebant.

§. 304.

De morsu Tarantulæ & Scorpionis per pauca in hac Tractatione monebo, quoniam de hac quæstione scite non minus, quam copiose scripserunt multi Authores, quorum præcipuos indicasse sufficiat (b). Eminent vero inter eos Baglivus, qui ipse in Apulia natus, & ibidem aliquandiu commoratus, pleraque, quæ dixit de Tarantula, vel ipse vidit, vel ab iis, qui viderunt, accepit: ex cuius enarratione colligate possumus, venenum Tarantulinum esse tam tenuium partium, ut in corpus receptum per reliquas partes sine impedimento & sine noxa tran-

(b) PETRVS HISPANVS *Sylb. part. III. Cap. 12.* JOH. PORTA *Mag. nat. Lib. II. cap. 21.* SIMON. MAJOL. *Dier. Canicul. Colloqu. 5.* ATHANAS. KIRCHERVS *in Phonurgia.* PHILIPP. CAMERARIVS *Cent. II. Medit. Hist.* SAMVEL HAFENREFER *Nosodoch. Lib. III.* ubi etiam variae Tarantella Characteribus Musicis expressæ videri possunt. VVOLFERDVS SENGVER-DIVS *Dissert. de Tarantula 1667. habit. Lugduni Batavor.*

transeat, hæreat vero, & detineatur in densissima nervorum compage & porulis ibidem angustissimis; ubi veneno opponitur, in quod agat, & quod reagere possit, à qua reactione pendet omnis effectus venenosus, qui hic consistere videtur in distortione quadam fibrarum nervi, transitum spirituum animalium prohibente, quo nervus ad suas obeundas functiones fit ineptus, & tunc à Medicis stupore affectus vocatur: ex quo omnia symptomata à Baglivio notata (c) explicari possunt. Quia tamen stupor tolli potest, si nerveis fibrillis vis additur, situs à veneno iisdem inductus mutatur, & motus tremulus imprimitur, quo una opera & venenum excutitur & restituitur liquidu nerveo sueta sua permeandi libertas: cui negotio nihil magis convenire Musica, sequitur ex iis, quæ ante de vi sonorum in mutantibus solidis differui. Quemadmodum vero cuique veneno sua specifica & determinata est efficacia, qua per corpus diffusum, certas tantummodo partes sua malignitate aggreditur, reliquis intactis (d); hanc vero quilibet videt quærendam esse, tam in diversa partium, in quas agit, structura & dispositione, quam in ipsa veneni natura; quandoquidem idem venenum in diversis corporibus diversissimos edere

re

---

(c) BAGLIVUS *Diff. de Tarantula Cap. VI. & VII.*

(d) *Sid. ROB. BOTLE Tract. de Natura determinata effluviorum, & de Specificorum remediorum cum Corpusculari Philosophia concordia.*

re effectus constat (e); & indoles veneni est  
yaria in singulis Tarantularum generibus (f);  
ita etiam non omnes modulationes Musicæ  
conveniunt omnibus Tarantatis; sed Citha-  
rœdi sonorum cuivis Tarantularum speciei fa-  
miliarium gnari exquirant prius necesse est,  
cujusnam coloris & magnitudinis fuerit Ta-  
rantula lædens, aut tentando varios sonorum  
modos instituere, mutatis quoque sœpe instru-  
mentis, oportet, donec incident in ejusmodi  
modulamina, in quibus frequentiores sunt soni  
nervorum affectorum tensioni respondentes;  
& tunc continuo ægroti mortuorum instar  
humo jacentes modo pedem, modo manum  
movere incipiunt, & mox ad choreas exci-  
tantur.

### §. 305.

Non multum absimilis debet esse ratio, si, ut  
relatum legimus, morsus viperarum incentio-  
ne tibiæ curati fuerunt. De qua re celebris  
extat locus apud GELLIVM, qui Ego, inquit,  
„nuperrime in lib. Theophrasti scriptum in-  
„veni, viperarum morsibus tibicinem scite  
„modulateque adhibitum mederi. Refert &  
„Democriti liber, qui inscribitur  $\alpha\delta\iota\lambda\omega\mu\alpha\pi\eta\lambda\omega$ ,  
„για\kappa\omega\pi\kappa\alpha\pi\omega\pi, in quo docet, plurimis hominum  
„morsibus medicinam fuisse intentiones tibia-  
rum. Tanta prorsus est affinitas corpori-  
bus

(e) Bid. BAGLIVUS ib. Cap. VI.

(f) id. ib.

„bus hominum mentibusque, & propterea  
„quoque vitiis aut medelis animorum & cor-  
„porum (g).

### §. 306.

Ideam doloris exhibit determinata quædam & sui generis unius vel plurium fibrarum in medulla Cerebri mutatio, quam perceptio doloris semper & necessario comitatur, & producit cujusvis fibræ nerveæ, in quavis corporis parte à quacunque causa facta violenta distensio, qua sublata, tollitur dolor, licet causa ante lædens sæpe permaneat. Id quod optimè docent Narcotica, quæ fibras nerveas ita emolliunt & relaxant, ut absque multo renisu cedant actioni causæ lædentis, adeoque violentæ tensionis fiant incapaces.

### §. 307.

Triplex itaque poterit esse ratio, qua Musica dolorum acerbitates mitigare valeat; una, mutando situm violentum fibrillæ nerveæ affectæ in alium diversum, liberiorem, causa doloris occasionali vel intacta, vel jam remota: altera, ciendo & agitando nervum motu tremulo, quo facilius materiam lædentem protrudere & eliminare queat, adeoque ipsam causam simul tollendo: tertia, excitando alias novas ideas vividiores in medulla cerebri, quæ illam doloris quasi obscurent, vel deleant, quo minus percipiatur. Plures enim ideæ eodem tem-

---

(g) AVL. GELLIVS *Noct. Att. Lib. IV, Cap. XIII.*

temporis momento productæ non omnes simul, sed earum una tantummodo distincte percipi potest, accedente nimirum illa machinatione, quam attentionem vocant. Quibus forte addi posset quartus ille modus, quo fibrilla, dolorem sistens in Cerebro medulloso, ita mutatur, & situi suo spontaneo restituitur, ut, licet causa doloris adsit, & nervus moleste afficiatur, hæc mutatio tamen nervi non propagetur usque in cerebrum, nec fiat perceptio ullius sensationis molestæ. Id quod fieri posse, monstrant jucunda coram afflictos habita colloquia, & κακῶν θελτὴς ἐδυνάω, somnus.

### §. 308.

Frequens fit mentio apud veteres dolorum per musicam curatorum, & passim apud GALENUM invenimus τὸ καταυλέν τὸ τόπος, super locum affectum tibia canere, atque COELIUS AVRELIANVS memorat, quendam loca dolentia decantasse. Ubi quidem confitendum est, multum superstitionis ethnicæ sese immiscuisse, ipsum tamen, quiquid obtinuerunt levaminis, tribuendum esse causis physicis (h).

### §. 309.

Præprimis vero frequens usus Musices fuit in sopiendis arthriticis doloribus, qui reliquis minus tolerabiles ægrotos ad quævis auxilia quærenda impellebant; ita tamen, ut, solatia mi-

---

(h) Sid. ISAACI CASAVBONI *Animadvers. in Alben. Dipnosoph. Lib. 14.*

miseriarum tam avide expetentes, non raro impostorum præstigiis deluderentur. Ita enim eos deridet LVCIANVS in faceto Poëmate, quod τραγοπόδαις inscribitur, multisfrustra adhiberi solitis remediis subjungens:

Ἄλλοι ἐπαισθαῖς ἐπιθετῶν ἐμπάζεται:  
Ιχδαῖς ἐτεροῦ μᾶργη ἐξάδει λαβῶν.

*Alius incantamentis impostorum deluditur:  
Judeus alium stultum excantat naestus.*

Quæ Podagra nihil curans gloriatur:

Ἐγὼ δὲ τέτοις πᾶσιν οὐμόζειν λέγω.  
*Ego vero hos omnes plorare jubeo.*

Ex quo tamen nemo judicabit, totam eam artem vanam fuisse & fallacem, nisi forte, dum & hodie ab iis, quos vulgi imperitia fecit præticos, creduli decipiuntur, nullam esse artem medicam putandum sit. Videntur enim omnino fuisse quondam tantæ peritiæ Musici, ut doloribus leniendis sonos accommodare scirent, licet aliis deinde temporibus, præter fraudulentos quosdam imitatores & mirandi hujusmodi effectus memoriam, nihil hujus scientiæ fuerit reliquum: quam propterea GELLIVS etiam ad antiquitatem refert, dum scribit: „Creditum hoc à plerisque est, & memoriæ mandatum, Ischiadici, cum maxime doleant, „tum si modulis lenibus tibicen incinat, mi- „nui dolores (i).

(i) Noct. Attic. Lib. IV. Cap. 13.

## §. 310.

Multæ præterea testantur authoritates (k), Arthritidi Musicam fuisse auxilio, eaque multos oblectasse animum sub morbi cruciatu fere deficientem. Sic ALBERTVS, ERNESTI F, Bavariæ Dux, sub Imperatoris FRIDERICI regno, podagra laborans, sepositis curis cæteris, sectatus Musicam assiduis cantibus & sonis acerrimos mitigavit dolores (l). Et CONRADVS GESNERVS, Medicus Tigurinus in Epistola ad ACHILLEM GASSERVVM exarata de Ischiadicō per Musicam curato ita narrat: *Scio quendam, qui per annum laboraverat, remediis frustra tentatis, saltationibus Musicis per dies aliquot (8 circiter) quotidie ad sudorem usque peractis sanitati restitutum; cuius filius, vir nobilis Italus, mibi hic familiaris est* (m).

## §. 311.

Non prætermittenda est singularis quædam observatio, quæ circa hanc ultimam historiam institui potest. Ischiadicus curatur saltationibus Musicis & hinc provocato sudore; quid, si absque Musica saltasset? vel provocasset sudorem pharmacis? idemne expectari potuisset salutaris eventus? plurimi affirmabunt, ego vero

(k) *Bid. ATHENÆVS Lib. XIV. Dipnosoph. Cap. 5. PLINIVS Hist. Nat. Lib. XXVIII. DIOGEN. LAERTIVS Lib. V. EPIPH. FERDINANDVS Hist. Med. JOH. HEVRNIUS 3. Method. ad Prax. 28. JOH. VOSSIUS de 4. Scient. Popul. Cap. 4. S. 13.*

(l) *ÆN. STLVIUS Cap. 14. Europ.*

(m) *Cent. Obs. RVMLERI 98. à VVELSCHIO edit.*

vero magnopere dubito. Multum enim à se invicem differre videntur motiones corporis vulgares, & illæ, ad quas sonorum suavitatem concitamus; in quibus, præter illarum suetos effectus, peculiare quoddam fibrarum nervearum incitamentum accedere censeo, quo fit, ut & vegetius moveatur quicquid in illis continetur liquidi, & juvetur quævis functio, & ipsæ roborentur fibræ solidæ, vigore quasi adjecto, quo facilius materiam, doloris causam, elidere queant.

### §. 312.

Ad cuius rei comprobationem, si cui non sufficiunt ea, quæ hactenus de actione sonorum in nervos differui, plenioris argumenti loco esse poterit familiare quoddam experimentum, accuratiori consideratione dignum. Videlimus scilicet, multos per totas sæpe noctes assiduas ducere choreas, saltibusque & aliis violentis motibus corpora exercere absque magna molestia, qui tamen iidem, si absque Musica saltandum esset, nec tantos labores tamdiu sustinerent, nec eadem alacritate suas perficerent gesticulationes, & multo citius defatigati injuncta exercitatione desisterent. Quæ si ita se habent, & specialem quandam Musices operationem in interiores nervorum fibrillas confirmant, facile etiam intelligitur, posse vi sonorum materiam fibrillis nerveis inhærentem extricari, quam remedia diaphoretica vel movissent debilius, vel plane non attegissent. In-

signe hujus rei testimonium legimus apud **BAGLIVIVM**, qui de Tarantatis, Musica saltatione sanandis & largo sudore, ita pronunciat:

„Quamvis per sudores saltationibus provocatos venenosa morbi feminia à sanguine elminentur, non perinde tamen sequitur, ut sudores à vulgaribus diaphoreticis provocati hoc idem præstare possint; Nam plures ex nostratis Medicis, quamvis postposita saltatione, sudores provocaverint per aquas & confectiones diaphoreticas, nonnullis diebus ante suspectam paroxysmi invasionem; nihilominus tamen paroxysmus vere supervenit, & majori cum impetu, fuitque necessarium choream adire, & novos sudores per repetitas saltationes procurare, & ita paroxysmum omnino jugulare (n).

### §. 313.

Ubi materia interstitiis nervorum impinget eos sua acrimonia pungit, & ad motus convulsivos sollicitat, non absconum esset dicere, posse tunc simili ratione istam materiam per sonos naturæ fibrarum affectarum respondentes expediri, eoque ipso tolli morbum. Hippocrates sane hujusmodi Curationis mentionit, dum ita scribit: ἀπολύωνται γάρ οἱ καθαρισμοὶ οὐ επαριθησοւσι. *Liberantur enim (Epileptici) aut expiationibus, aut excantationibus (o). Et quamvis*

(n) *Diss. de Tarantula Cap. IX.*

(o) *de Morbo Sacro, in principio, ubi etiam Medicos hypocritas iis-coloribus depingit, ut melius vix potuisset, si nostro vixisset tempore.*

vis ad Circulatores magis, quam veros medicos hunc medendi modum referat, hoc tamen exinde patescit, extitisse tunc temporis hoc sanandi genus, & non sine omni fructu fuisse adhibitum. Legimus enim præterea alibi *Ιατροὶ οἱ καταύλησις καὶ ισχιάδα καὶ ἐπιλυθίαιν. Medetur tibiarum incentio & Ischiadico malo & Epilepsiae* (p).

## §. 314.

Quomodo furores & varii generis animi impetus Musica comprimere & sedare valeat, de eo jam supra (§. 253. seqq.) fuse egimus. Quare hic unicum tantum Exemplum curatæ Melancholiæ, in qua dissipanda maximam sonorum vim esse deprehendimus, reddere visum est. „ Quidam temperamenti admodum melancholici, Musicæ non prorsus expers, variis medicamentorum generibus adeo fatigatus erat, ut plura tandem admittere recusaret; „ donec aliquando gravissimo paroxysmo detentus, anxie à me rogaret, ut unicum & optimum præscriberem remedium. Cui nihil aliud adhibui, quam sequentem Clausulam Musice concinnatam: Gedultig, fröhlich allezeit (q). Quam simulac audiret, in tantum cachinum effusus est, ut exultans deleto

(p) CHRTSIPP. in Apollon. Alexandrin. Histor. Comment.  
Cap. 49.

(q) Hujus melodiam Characteribus Musicis expressam vid.  
apud Prink. Hist. Mus. Cap. 14. S. 53.

„Eto desiliret, & à morbo plenarie esset liberatus (r).

### §. 315.

Epidemice quoque grassatus fuit interdum morbus, quem à Sancto Vito, choream Sancti Viti appellant (den Beits-Danß,) quo correpti Germaniæ præprimis & Regionum Septentrionalium incolæ supra humanas vires saltando, & cantando, furiis quasi exagitati, per aliquot dies bachati sunt (s): Quorum amentium hominum magnam turbam venisse anno 1373 ex finibus Rheni & Mosæ in Flandriam, gregatim choreas ducentes, ac continenter exultantes, & cantantes scribit LUDOVICVS MALEANVS (t). Et circa id ipsum tempus ex Aquisgrano in Hannoniam atque inde in Franciam transiisse mirabilem Sectam, tam viorum, quam mulierum, præter omnem verecundiam chorizantium, narrat PETRVS PRÆMONSTRATENSIS. Quos morbos fidibus & cantu, primum incitatis, deinde sedatis ferunt esse sanatos (u).

### §. 316.

Quemadmodum ab omni pathematum animi intemperantia morbi varii, ita speciatim à ni-

(r) Sid. Miscell. Acad. Nat. Cur. Obs. I. Decad. 2. 1682. communicante D. JOH. MICH. FEHR. & plura hujusmodi exempla videri possunt apud ALDROVANDVM Lib. V. de insect. fol. 621.

(s) CAMERARIVS Cent. II. Oper. succit. Cap. 81.

(t) in Annal. Flandria Lib. 14.

(u) BOGDINVS Lib. V. de Republ. Cap. 11.

à nimio terrore, metu & diuturno mœrore perniciosa, insolita Epidemica & difficilia morborum genera, imo febres pestilentiales frequenter oriri solent: ut observatum est in annonaë caritate, obsidione urbium & terræ motibus (w); & vicissim in iisdem morbis, aliunde profectis, nihil magis ad eorum contagia suscipienda disponit sanos, quam modo memorati affectus animi, diutius protracti. Idque adeo verum esse deprehenderunt Observatores, ut multi tradant, plures terrore & tristitia sub maligna constitutione interire, quam ipso morbo (x).

### §. 317.

Quocirca nihil mirum videri potest, Musicam, cuius in regendis pathematibus, & animis exhilarandis vim summam esse docuimus, in Peste etiam non irrito prorsus conatu fuisse adhibitam, eaque multos ab imminentí exi-  
tio vindicatos: nec amplius commentitiis an-  
numerabitur fabulis, si apud Homerum legimus, Græcos in obsidione Trojæ Pestem Mu-  
sica abegisse(y): nec improbabitur, recentiori quoque ætate, consilio medicorum conces-  
sum esse, ut in tractibus hujusmodi calamitate  
afflictis homines, tum aliis honestæ hilaritatis illecebris, tum præprimis Musicis concenti-  
bus

(w) *vid. BAGLIVUS. Histor. Roman. Terræ motus ann. 1703.*

(x) *vid. DIEMERBROECK de Peste pag. m. 286. 297. 232.*  
*E 352.*

(y) *Iliad. a.*

bus & saltationibus modicis animos ab horribili tantorum funerum aspectu & metu mortis averterent, atque eo tutius communi luis contagio sese subtraherent.

§. 318.


Cujus rei, ut unam ex multis autoritatem afferam, insigne extat testimonium apud DIERMERBROECK in doctissimo Tractatu de Peste ita scribentem. *Mæror, tristitia & timor* (quos *animi motus Pigræus pabulum & nutrimentum pestis appellat*) *tantum valent in maligna constitutione, ut iis solis de causis pestes maxima incrementa sumere, multi crediderint; ac propterea quoque veteres adversus has animi affectiones peculiare Alexipharmacum excogitaverunt, nempe Musicam, cuius vi olim multos maximosque morbos sanatos fuisse referunt.* PLVTARCHVS, de Musica, scribit, *a Lacedæmoniis, gravi pestilentia infestatis, Pythii Apollinis oraculo, Thaletem Cretensem accitum fuisse, eumque Musica grassantem Pestem fugasse* (z).

§. 319.


Et hæc quidem sunt, quæ in mentem mihi veniebant, dum causas investigarem, quibus fieret, ut certi soni in corpore animato tam mirabiles producerent effectus, quorum passim legeram apud Authores exempla. Quæ si non totam rem exauriunt, poterunt tamen ulteriori inquisitioni præbere occasionem.

(z) Lib. II. Cap. VII. annot. XI.

F I N I S.







HERKOMER  
MÜNCHEN

